POEMATA

Ex SACRA, Libris

ANDREÆ RAMSÆI
Pastoris Edinburgeni.

Gulielmi Toshack

S5. 2. 38

EDINBURGI,
Excudebant Hæredes Andreæ Hart.
1633.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

AD SERENISSIMVM & POTENTISSIMVM, MONARCHAM, CAROLVM, *Magnæ Britanniæ, Franciæ,* & Hiberniæ Regem, fidei Apostolicæ *& Catholicæ defensorem, &c.*

ETsi ad Poetices studium (Rex Sereniſſime) impetu quodam naturæ rapiebar: intercedebant tamen ſeveriores muſæ ne in his ſtudijs profuſius ingenio indulgerem. Nunc autem vertente ætatis anno duodeſexageſimo, ſiquæ olim vires in carmine, concidiſſe, & Aganippes noſtrę rivuli exaruiſſe videbantur, quamprimum tamen adventus tui fama non ἀδιαφόρως & ſine capite rumoribus, ſed certis authoribus percrebuit; illa non modo me jacentem recreavit, ſed recreatum erexit, erectum plene confirmavit; ſicutque olim

Medea Æsonem recoxisse, & juventutem illi revocasse proditur, ita Augustissimi vultus tui intuendi expectatio pristinum menti robur, & meliores mihi annos reduxit. Testis hic ingenij fœtus: qui licet, mea opinione, indignus sit qui lucem videat, doctorum virorum iudicio (cui plurimum semper tribui) obstetricantibus musis, aut propitio verius numine, non infeliciter videtur natus. Quem ego Majestati tuæ dicandum censui; non quod putarem, in te beneficium ullum posse me deponere; sed ut obsequij & grati in te animi mei testimonium aliquod etiam apud posteros (ut spero) constaret. Neque etiam dissimulo, & tacitus premo; sed ingenue præ me fero, maximo mihi futurum gaudio, si levidensæ hoc munusculo viam ad favorem tuum munire, & benevolentiæ fores aperire conceditur. Quid enim prius?! Quid antiquius? magisque ex animi sententia accidere potest, quam à tanto Principe diligi, cui universus terrarum orbis paucos secundos, pauciores similes, præstantiorem nullum habeat. Quippe cum is sis, qui non eos tantum, qui ad regni & reipublicæ gubernacula

sedent

sedent, justitia & regia omni virtute, sed & sacrorum Antistites pietate longo intervallo post te relinquas: quod, præter cætera, animos mihi addidit ut lucubratiunculam hanc Serenissimo nomini tuo inscriberem. Nam cum pietas, honosque Dei apud te (ut dicitur) utramque paginam faciat, pergratum tibi fore carminis hujus argumentum persuasissimum habeo. Quis enim nescit? quam uberem Dei gloriæ segetem rerum creatio suppeditet? quam latos campos nomini divino celebrando aperiat felix illa priorum parentum in statu integritatis conditio? quinetiam, si quis in Protoplasti lapsum, quo nihil funestius, nihil calamitosius, quod cataclysmi instar totum genus humanum inundavit, eluit, evertit; si quis (inquam) in eum mentem & cogitationem defixerit, comperiet ad salutarem ciendam pœnitentiam efficacissimum esse incentivum; Redemptionis tandem opus, de quo quarto libro dissertatur, ita luce sua radiat, & superioribus præfulget, ut illorum luminibus (si fas sit dicere) obstruere quodammodo videatur. Quæ ego non singula tantum, sed universa, penicillo poetico

describere tentavi, illustrius & graphicè magis daturus, si pastoralis provinciæ sollicitudo non distringeret, & seria magis studia, Theologiæ cumprimis (cujus professionem aliquot annos publicè sustinui) alio vocarent. Habet fateor, poeticus instinctus cognationem summam cum prophetico afflatu: Quare Epimenidem Poetam, Prophetam Apostolus indigitat, & vaticinari, protrito & vulgari sermone, idem est quod divinare. Huc etiam spectat quod oracula olim, non solutis ut plurimum numeris, sed ligatis, & carmine dabantur: quæ liquido revincunt θεῖον esse poesin, non otiosi cerebri figmentum. Sed quantacunque hæc sunt, quæ ad poetices commendationem maguum habent momentum, apud me non sunt tanti ut omnes exotericas disciplinas, nedum unam Poeticam, ulla ex parte Theologiæ comparandas censeam. Hæc etenim una est salutaris scientia, quæ nobis facem præfert ad cœlestem patriam. Hæc mea Sparta est, hæc palæstra, in qua desudat industriæ meæ curriculum, non huic tantum sæculo, sed posteritati, unde pro viribus enitor, quà veterum, quà recentiorum

orum monumenta replicando, vindemiolas colligere, ſacras eclogas excerpere, quę Eccleſiæ Dei uſui eſſe poſſunt; quas premo & premendo polio, atque adorno; ex prompturus, ubi otium literarium & portum ſtudiorum tuis auſpicijs nactus fuero. Interim hoc meum in te ſtudium, Princeps optime principum, æqui bonique conſule, quæque tibi ſupplex offero,

AUGUSTISSIME ET SERENISSIME

CAROLE, cui triplici fulgent redimita corona
Tempora, quem mundi ſydus utrumq́ colit;
Accipe, Sidoniæ non vellera ſanguine conchæ
Ebria, nec Phrygiâ Serica picta manu.
Non hîc gemmiferis quæ fluctibus India condit,
Aurifer aut fulvo quæ vehit amne Tagus.
CAROLE muneribus cedunt hæc vilia noſtris,
Et ſunt hæc meritis inferiora tuis.
Nos te digna damus, terras damus, æquor et arces
AEtheris, & quicquid maximus orbis habet.

ELENCHUS POEMATUM.

Rerum Creatio. L. I.
Hominis felicitas ante Lapsum. L. II.
Lapsus. L. III.
Redemptio per Christum. L. IIII.

Miscellanea,
Epigrammata sacra, & Exotericorum ex naufragio tabulæ residuæ.

CREATIONIS rerum descriptio poetica.

LIBER PRIMUS.

Quæ massæ dedit orsa rudis vis diva creatrix,
Distribuitq́ locis, discludens Nerea terris,
Visq́ opifex eadem ut sinuatis orbibus orbes
Arcuat, & cœli camerat fastigia summa,
Utque hominis libata polo mens numinis haustu,
Semina mortiferæ labis concepit Edene,
Unde Dei soboles cœli radiantia templa
Liquit, ut æthereæ reduces nos sisteret arce,
Argumentum ingens, celsæ dignum alite mentis,
Pandere fert animus. Mihi tu qui mœnia mundi
Struxisti, glomerans flammato fornice cœlum,
Adsis sancte parens; faciliſque in vota vocanti

Adsis Nate Patris, mundi melioris origo,
Qui Patre, qui Nato manas communis utrique
Spiritus adspira, atque animis illabere nostris.
Non mihi Pegasides curæ, non præses Apollo
Pegasidum, nil Cyrrha iuvat, nil numina vana.
Alma trias, Deus unus agat præcordia motu,
Ut sacrare ævo, numerisque extendere possim
Facta Dei, & rerum tantas evergere moles.
PRincipio cœlum terramque, & finibus ambit
Quicquid terra suis, quicquid versatile cœlum
Circuit, & mundi non enarrabile textum,
Perfecit senis dicto pollente diebus
Rerum opifex, tantæ præbente exordia moli
Materiâ nulla. Sed inanis & horrida primo,
Nec picturatos tellus induta colores
Stabat iners, succique expers, & vulnera aratri
Ferre impar, nec odora herbis, nec flore renidens,
Sic pertæsa sui, quia se minor, illa subire
Aspectum renuit, pelagique ingloria in antris,
Undosis suspensa tholis latet; alga flagellat
Omne latus, fluctuque unda imperiosa coercet,
Et cingunt vitreo circumfluа cærula vallo.
Nulla polo emicuit vel lux vel Lucifer, omnem

Sed

Sed molem immensam hanc undarũ altumq; profundũ
Furvus pallor habet, tenebræ undiq;, & undiq; pontus.
Huic vastæ moli demissum flamen ab alto
Incumbit, tremuloque alarum remige crispat
Fluctusque fluviosque maris. Tum conditor orbis
Armatam radijs, pulsâ caligine, lucem
Effulgere iubet. Lux hinc incanduit alma,
Exhilarans roseo mundi incunabula vultu.
Quam postquam radiantem oculis cælestibus hausit,
Ipse suis favet inceptis, & limine in ipso
Applaudit nascenti operi. Tum lucis & umbræ
Alternat pater imperium, noctemque diemque
Instituit, sceptrique pares indulget honores.
Sic fugiente die piceis præmissa quadrigis
Incubuit pallens tenebroso vespera amictu;
Et veniente die præijt rutilantibus alis
Aurique argentique nitor, sequiturque premendo
Alma dies, sine sole dies. Hæc meta laboris
Prima fuit. Dein rerum opifex crystallina cœli
Mœnia circumagens, nitidi seu carbasa lini
Explicat, & curvis glomerans infraque supraque
Fornicibus, spatijs à terra dividit æquis.

Ambrosioſque ſuper latices & nectaris amnes
Impoſuit, tactu temerarent forte nefando
Ne tenues nebulæ Phabi quas evocat ignis;
Aut pater Oceanus, ſi quando turbidus ira
Ore vomit ſpumas, tollitque ad ſydera fluctus,
Horrifer ut Boreas ſlabris ſua regna flagellat.
Quippe hos, arcanos genitor ſemovit ad uſus,
Et maris amplexu toto diſcluſit olympo.
Altera fronte rubens prænuncia veſpera noctis
Pallentes faſces tetrique inſignia regis
Pullatis advexit equis, & nocte fugata
Detexit croceos vultus aurora diei.
Tum ſator ut nullis currentia fluminametis,
Humentiſque globi faſtum, fluctumque tyrannum
Vidit; & undoſo captivam carcere claudi,
Et totam ſalſo laniari verbere terram,
Non tulit effrænes errare licentius undas:
Sed maris imperium caſtigans limite certo,
Vincit arenoſis erratica cærula frænis,
Et gyro breviore rotat. Congeſtus aquarum
Stat cumulus, pater Oceanum quem dixit: in iſtum
Devolvunt famulas labentia flumina lymphas.

Hic

Hic glauco in ſolio, teloque tricuſpide cinctus,
Quo triſidi regit orbis aquas, dum temperat æquor,
Egerit hos latices, nunc illos excipit alvêo.
Huius ut exſolvit vinclis arentia latè
Arva Deus, matris celebrat natalia Terræ.
Tum rerum pater ad terram converſus inertem,
Luxuriare iubet ſegete, atque undare repente
Frugibus, & fatum fatu inſtaurare renato.
Iuſſa Dei exequitur tellus. Vitalis in artus
Irrepit tepor, & genitalis macerat imber,
Aperteſque ſinus divina potentia ſolvit.
Illa, velut chari in gremio nova nupta mariti
Poſtquam experta toros, viridanti ſemine prægnat
Iam maturo utero, iamiam paritura laborat,
Induitur florem tellus, ſylvæque coronant
Arva comis, horti dant ſponte rubentia mala;
Prata nitent, cœlo ſicut Thaumantias udo,
Cum picturatum dat mille coloribus arcum.
Quæ modo gleba omni ſine cultu ignava latebat,
Vndique ſpumoſis pelagi pulſata procellis,
Purpureo veluti Regina ſuperbit amictu.
Præcipuè Tigris dominum qua murmure ranco

Euphratem

Euphratem ſalvere iubet minor alveo, & unà
Concurrit, faſces & vitrea ſceptra reſignans.
Mundi ibi delicia, mundi flos, mundi & ocellus,
Palmaque pomiferæ glebæ, ruriſque voluptas,
Hortus erat, ſuperans mortalia pectora cultu:
Quem ſevit Deus ipſe manu, gemmantia cuius
Prata roſa pingit ſanguis, pingitque liguſtri
Lac nivei, pingitque aurum quod vincit & oſtrum,
Omniferoque beans fructu bona copia campis
Fluctuat, & cælum perflat felicibus auris.
Annuit hiſopifex, & veſper tertius alto
Ingruit, horrendæ chaos illætabile noctis
Pone ferens, triſtique iisdem caligine pulſa,
Tertia lux roſeo fulgore retexit Olympum.
Continuo poſtquam nullo clareſcere cultu,
Et nullis pingi faculis radiantibus æthram
Advertit genitor; rutilantia corpora mille,
Mille oculos, mille igniculos intexit Olympo.
Quale micat variis Sidonia palla pyropis,
Aut quæ Mæandris auri argentique refulget
Invitans ſpectantum oculos Babylonica veſtis.
Tale nitent tremulis cœli laquearia flammis.

Cernere

Cernere erat tum aſtrorum acies, nitidaſq; phalanges
Stare illas, iſtas palantes ire per æthram
Igne vago, adverſis nec non concurrere flammis.
Quarum quæ roſeo pulcherrima frontis honore
Fertur inaurato lampas Titania curru,
Et regis titulos & regni poſcit habenas,
Protrahat vt luces, vel longas contrahat vmbras.
Hæc breviore diem quoties decircinat orbe
Et prono curſu noctis compendia laxat,
Frigida bruma gelururis populatur honorem,
Terraque marmoreo torpet tabulata rigore.
Ocyor & quando metis exſurgit Eois,
Serior occiduas & curvus condit in vndas,
Terra ſitum ponens herbarum vernat amictu,
Et ſpirat blando renovatrix gratia vultu.
Præterea nocti quæ ponere iura ſilenti,
Et reſtuo poſſit pelago quæ figere leges,
Fax accenſa polo eſt, Solis fax æmula flamma,
Aurea virgineum prætendens fronte ruborem.
Hæc, ſive amplexu tabeſcat lumine fratris,
Sive etiam exigua meditetur cornua fronte,
Aut plenos quando pollentior exerit ignes,

Adducit

Adducit pelago, pelagoque immittit habenas.
Hæc quoque, cum multo poppyſmate frater anhelus
Ceſſat equos laſſos ſtreperis urgere flagellis,
Et Tarteſſiaci ſitiens ſubit æquora ponti,
Ilico roriferas conſcendit veſpere bigas,
Amiſſum ſolando diem: & clementia cœli
Irrigat arentes genitali aſpergine campos.
Ipſe opifex operi gratatur. Veſpera quartæ
Terram vmbris operit: victuſque labore & amore
Cæruleæ ſubiens algoſa cubilia ſponſæ
Sancit in æquoreis connubia Delius vndis:
Et croceo thalamo cunctantem aurora reſolvit
Coniugis humenti gremio, praiensque rubenti
Fronte ſerenat agros. Tum conditor humida regna
Intus agit, totoque maris ſe corpore miſcet.
Mox matres animantur aquæ: gens aſpera ſquamis
Naſcitur, & ſalſi per glauca palatia regni
Æquoreum genus omne natat: pars remige pinna
Radit aquas, primique duces immania cete
Inſultant ſcopulis & flumina mole fatigant:
Pars innixa pedum numero, non remige pinnæ
Sulcat aquas, munita latens ſub tegmine teſta

Pigræ

Pigra per humentes ſinuat veſtigia calles:
Pars quoque tarda hærens ſcopulis ſub corticeconcha
Pinnarumque pedumque expers depaſcit arenam.
Ergo ubi tecta replet ſpumantia pinniger unda
Incola, continuo glomerans volat agmine denſo
Hoſpes agri genialis avis: caput inſerit aſtris,
Et liquidum molitur iter, plaudentibus alis,
Dux volucrum, torvis oculis atque ungue minaci,
Nil tela adverſi metuens radiantia Phœbi.
Proximus huic dulci cantu ſubit oſcinis ordo,
Aerioſque ſuper tractus atque arbuta mulcent
Innumeri numeri & centum diſcrimina vocum.
Imprimis Philomela modis & carmine præſtans,
Deductum reſonet ſeu preſſo gutture murmur,
Tinnula ſeu numeros argutet voce canora,
Sive æquo ſuaves libret diſcrimine voces,
Seu tractim ducat modulos, vel chromata denſet,
Illa movet ſilices, altaſque in montibus ornos.
Tertius eſt volucrum viſu pulcherrimus ordo,
Ante alias pavo rutilans gemmantibus alis,
Os, humeroſque auro clarus, radiataque terga,
Dum tumet, & caudæ ſtellatæ ſyrmata ſpectat,

Ardet

Ardet amore sui, & placitos alit ossibus ignes.
Nec te transierim, celebras qui stagna Caystri,
Ales olor Geticas superans candore pruinas,
Eoumque jubar niveo fulgore lacessens.
Vicina tu morte tibi, ceu præfica, lessum
Ore cies, quæ saxa, lacus, sylvæque propinquæ,
Flebile saxa, lacus, responsant flebile sylvæ.
Neve indictus eris stolida qui mole superbis,
Remige non cœlum alarum sed vertice pulsans,
Progeniem secura, maris quæ flumina propter
Ova locas calcanda, sonans immane ruditu.
Hoc tamen exiguo naturæ munere præstas,
Quod ferri subigis stomachi fornace rigorem.
Accipit applausu tum conditor ista secundo,
Hisque beat dictis. Pennis quæ cærula cœli
Tranat avis, pinnisque secat quod marmora ponti,
Macte ait, & seriem numerosa prole perennet.
Hæc ubi, quinta rubens accendit vespera flammas,
Et quinta emicuit stellis aurora fugatis.
Tum rerum genitor terras ut civibus orbas
Aspicit, & nullis animantibus hospita rura,
Luxuriem teneræ nusquam depascier herbæ,

Stare

Stare etiam intactas segetes, dapibusque referta
Omnia, sed nullum structis accumbere mensis;
Inspirans terris animas, vegetansque per artus,
Quod vescas salicum frondes, quod pascua læta
Carperet, & morsu luxum compesceret herbæ
Dat pronum pecus, & proiectam ad pabula gentem.
Hinc Leo prædator Lybicis novus incola campis
Ore fremens, oculis scintillans, perque torosa
Colla iubas iactans, cœlum rugitibus implet.
Mole ingenti instar montis cui turriger adstat,
Quãquã impar animis, Elephas, mage robore præstans
Cumque his dente ferox aper, & compressibus ursus.
Quæque gerunt sylvestrem animum, lustra avia tuci
Et loca sola habitant. Sed quæ mortalium in usus
Munificus voluit genitor mansuescere cultu,
Culta colunt: ludit niveâ cum coniuge taurus,
Cum socia villosus aper, cornuque petulcus
Cum consorte aries, spatijs lascivit apertis
Præfractus sonipes, & cursu provocat euros,
Discitque ad numerum sinuare volumina crurum.
Quid dicam maculis insignem, atque orbibus orbes
Implexos sinuantem anguem? Quid viscera gentem

Rimantem

Rimantem terrã? Quæ dum loca ſubdita noctí
Excavat, & riguum terræ bibit ore virorem,
Sauciat, heu, duram numeroſo vulnere matrem.
His ita finitis, opifex opus exigit æqua
Lance ſuum, invat & ſeries, operoſaque rerum
Congeries. Tum quæ terras quæ temperat aſtra
Alma trias ſuccincta æterno pectus amore
Humani generis, ſecum permulta volutans,
Multa movens animo, ſic ſancta ſilentia rumpit.
Nos Deus æternus, qui fons, qui meta ſuprema,
A quo cuncta fluunt, atq; ad quem cuncta recurrunt,
Nos veneranda trias, quicquid complectitur orbis,
Infera cum ſpatia, & ſuperi ſpatia avia mundi
Condidimus, ſed quo ſpectant hæc dædala texta,
Tantæ & molis opus? quidnam promovimus iſtis?
Cum mare, cum tellus nobis neque regia cœli
Farrea dona ferant, thuriſve operenturaceſra.
Ergo hominem cœleſte genus fingamus; is ore
Non prono terram ſpectet, non cernuus ima,
Arduus erecto ſed toto corpore cœlum
Suſpiciat patrium, & cognatas ætheris arces.
Iſti terra gerat morem, circumfluus humor

Pareat

Pareat imperijs, placidoque animantia degant
Auſpice ſub tanto, nobis hic vota preceſque
Nuncupet, & ſacros ſupplex adolebit honores.
Pulverea tum face ſoli, ſuccoque tenaci
Informem ſubigit maſſam, fingitque decoram
Corporis in ſpeciem, quam divâ cœlitus aurâ
Imbuit. Hoſpitio luteo mens incola degens
In gyrum rationis agit famulantia membra,
Sydereaſque legens arces, atque ardua rerum
Perpetuo fertur motu, velut æmula cœlo,
Ætherijſque opibus florens, & numinis hauſtu,
Diſparat à brutis, hominemque exaquat Olympo.
Ad quem rerum opifex, quum primum in luminis oras
Editus, his cœlo blandis eſt vocibus uſus.
Nate Deo, nato ſque Deo nataſque dature,
Macte animo, ſocijs tædis vincloque jugali
Coniunctam, officijs & caſtis ignibus ambi:
Illa tibi ſobolem divino ſemine cretam
Faxo edat, genus humanum quæ in ſæcla propaget:
Nec te cura dapum coquat, aut anguſtia rerum,
Hoc quodcunque vides gremio complectitur orbis
Omne tuum eſt, lumen iucundum fœnerat æther,

Te

Te levibus mulcens alis circumstrepit aer,
Et vectigales tibi pendunt flumina lymphas:
Alma parens tellus præbet victumque, laremque:
Quin & sylva ferax ramos tibi curvat olentes
Sole coquens epulas maturas, roscida prata
Summittunt herbas, gravidis constagnat aristis
Flava Ceres, hilarem fert livens uva Lyæum.
Hæc & lautitias virides, & semina vesca
Alituum pecudumque gregi dabit, horrida dumis
Seu loca sola colit, seu cultu exercita rura.
At tu nate Deo, quoniam cælestis origo,
Et genus æternum, cœlestibus imbue mentem,
Et fruere æternis, fluxis tantum utere rebus.
Vnum oro, & dictis hoc impero, cum meus in te
Tam prolixus amor mensas dat habere profusas,
Arboris unius feralia fercula vites.
Hæc intonsa comis ramisque fluentibus arbos
Stat mediis horti in spatiis, quæ tollit in astra
Vmbrosum caput, huic vesana scientia nomen
Indidit, à misero deducta scientia sensu.
Hæc licet exuperet malis quæ murici & auro
Concertant, quamvis ramoso fornice Soles

Arcea

Arceat, & frondis niteat vernantis honore,
Mala cave hæc morsu violare, aut dente notare:
Quod si amor infaustas epulas proritet edendi,
Dulcia mala tibi quot funera funere in uno
Et quot acerba ferent: quippe undam trudit ut unda
Sic curas curis & cladem clade novabunt.
Tandem æstu assiduo iactatum & turbine duro
Damnabunt stygiis æterna nocte tenebris.
At mihi si dederis non intractabilis aures,
Posteriora meis & duxeris omnia iussis,
Ætherios vives annos, cœloque frueris.

Hæc ubi dicta dedit, superûm spectante corona,
Terramque, & totum nutu tremefecit Olympum,
Hinc maria & terras oculis atque omnia lustrans
Apta situ, nexu concordia, pulchraque visu,
Plena suis numeris, labisque exortia cernens
Annuit, & vesper cœlum subtexuit umbris,
Et sexta æquoreis Eos caput extulit undis.

QVAM BEATA
Hominis in primigenia *integritate conditio.*

LIBER SECUNDUS.

HÆC magnus rerum genitor cum effecta dedisset,
Terrasque, tractusque maris, Cœlumque profundum
Finxisset, terræque acies, cœlique maniplos,
Otia festus agit: non otia qualia pigri
Aut residès agitant animi. Quippe ille per omnes
Terrarum cœlique vias diffusus, habenas
Molitur rerum, totumque staturninat orbem,
Sed perhibere novas ſpecies, procudere formas
Ante etiam invisas quia cessat, is otia sancta
Sanctus agit, sciscitque diem qui lumina sexta
Excipit esse sacrum, mortales otia sacro
Vt celebrent ritu, fluxisque facessere iussis,

Et

Et quibus ægrescunt hominum præcordia curis
Deterſis, toto ſuſpirent pectore cœlum.
Et mundi ſenis quia texta operoſa diebus
Abſolvit genitor, lux ſeptima quando recurrit
Ire hominem voluit celeri vertigine mentis
Per naturam omnem, mundique recludere leges,
Altius hinc ſeſe efferre, & victricibus alis
Ætherias ſuperare domos, & templa Tonantis,
Artificeſque manus, & numinis ora tueri:
Vnde queat votis, & ſupplice voce piare
Authorem rerum. Quis tecta micantia cœli,
Eoumque iubar niveo quod fulgurat ore,
Aut quæ nocte nitent argentea lumina Luna,
Ætheriaſque faces radiatis vertice cirris
Conſpicuas, picti vel odora emblemata campi
Intentis luſtrans oculis, & lumina mentis
In te convertens, decorat quem gloria & omnis
Ornat honos, ambitque decus rutilantibus alis,
Numinis immenſa non maieſtate fatiſcat?
Nec minus è nihilo mundum quæ mœnia cingunt
Produci, liquidæque humeris trepidantibus auræ
Vndarum pelagique graves fulcirier orbes

Immenſo produnt pollentem robore dextram,
Quin etiam concors diſcordia, nexaque nexu
Diſpare congeries, compar velut ordine ſurgens
Fiſtula diſparibus ſeptem compacta cicutis
Evincit ſolers æternæ mentis acumen.
Septima lux ergo, lux terque quaterque beata!
Qua, poſitis mundi curis, ſuccedere cœlo,
Et propriore datur perfundi numinis aura.
Felix magne Adam, generis primordia noſtri:
Tu divûm genus æternos ſuper æthera manes
Mente refers, & habent concreti corporis artus
Quicquid mundus habet, qua Titan exerit ortus
Gemmato temone rotas dum condit in æquor.
Oſſibus inſidit vis ſaxea, vertice ſummo
Vernat ſylva comans, & venis ſanguinis unda
Molitur liquidos ramoſo tramite curſus.
Igneus ardor agit præcordia: mentis egenis
Vis quæcunque animæ eſt, animo glomeratur in uno
Exiguo magnus ſic clauditur orbis in orbe.
In quo viva etiam regni collucet imago:
Exercet rerum imperium regina voluntas,
Aſſidet huic ratio ſancti velut ordo ſenatus,

Affectus

Affectus tacito dulces qui corde residunt,
Dilectos nimium reddunt, quos gratia tollit
Illecebrosæ aulæ, sensus quasi turba ministra:
Accessit pietas, atque indulgentia cœli.
Sola thori consors & sacra iugalia deerant.
Ergo O sancte parens qui connubialia festa
Prænubus ominibus lætis & iura marita
Sanxisti, largo me sacri flaminis haustu
Imbue, ne tenuem deducto ingentia versu.
Postquam mundi opifex sociasset compare nexu
Alituum pecudumque greges, & sæcla ferarum,
Atque Adam qui cura Dei, qui debita cœlo
Progenies, sola solus recubaret in herba,
Quæsivit genitor terris, quæsivit & unda,
Siqua viri amplexu, vel tanto digna cubili:
Nulla ubi, qua mundus celsas acclivis ad arces
Tollitur, aut qua humiles premitur devexus ad oras,
Inventa est; morti torpenti affine sopore
Illigat, & lateris curva compage solutâ,
Costa Evam maturam ævo consingit, & ampla
Dote beat formæ: qualis Sol aureus exit
Mane novo largo terras cum lumine vestit,

Emicuit talis vultu Heroina ſerenans
Vmbroſum nemus, & lucem ſub nubila iactans.
Hæc quoniam caro carne viri, quoniam oſſibus oſſa,
Dicta vira *eſt. Deus huic diam mentemq́ animumq́*
Inſpirat, ſiſtitque viro, myſteſque hymenæos
Concelebrat, lectum & genialem ſternit Edene.
Iuſſit in amplexus irent, & prole replerent
Oceanus refluis terras quas ſubmovet undis.
Mox dapibus menſa inſtruitur, Geniique miniſtri
Accincti apparent: herbas & olentia ponunt
Mala illi: calices hi nectaris amne coronant.
Advocat hortus opes, mittit ſua munera ficus,
Datque pyrus fœtus, & dat ſua pignora malus,
Et ceraſus Tyrio ſplendentia fercula cultu,
Dant oleæ baccas, dulces vinetaracemos,
Quæque olim caſus pinus viſura marinos,
Et quæcunque tument pleno pomaria ſucco
Symbola dant, ſacriſque ferunt donaria menſis.
Quin etiam in numerum blandis concentibus auræ
Conſpirant, ſylvæ in numerum ſua brachia flectunt,
Et rami iunctis amplexibus ordine ducunt
Inter ſe choreas, ſaltuque in ſydera ſurgunt.

Fertur

Fertur arundineo Phiſon prætextus amictu,
Purius electro devolvens agmen aquarum,
Et Gihon, rapidus Tigris, & regnator aquarum
Euphrates, liquido teſtantur gaudia plauſu.
Ridet ager, rident flores, & paſcua læta
Picta ſinus auro ſplendent, & crine coruſcant,
Prataque purpureis decorant ſua tempora ſertis.
Nec nemora atque amnes tantum vel pinguia culta
His gaudent tædis, ſed cœlo purior axe
Delius aurato rutilat, ſeu Tethyos udos
Cum primum in thalamos & cærula brachia venit.
Quin etiam Aligeri, cœli ſuper ardua, fratres
Gratantur plaudunt que hilares: tum flammeus Ales,
Quem ſacer ardor agit, cantu ſic ora reſolvit.
Quo ſocias tædas, quo vincla iugalia dicam
Carmine? Connubio nil Sol decor aureus orbis
Diguius aſpexit. Tua primum ſacra dicavit
Rerum opifex, primum ſtravit geniale cubile,
Accenditque faces lætas. Te prima tulerunt
Tempora, tu ſeris æquabis tempora ſæclis.
Tu ſanctos quæ ſancta trias ſanxiſti Hymenæos
Adſis O Hymenæe trias, hymen hymenæe.

Nil

Nil te connubium lucis fert dulcius aura:
Tu dulces das amplexus, tu dulcia casti
Pignora das thalami, & socialis gaudia vitæ:
Ingrati sine te soles, & sydera noctis,
Dulce nihil: Tu quæ dulces sanxisti hymenæos
Adsis O Hymenæe trias, hymen hymenæe.

Commoda quanta ferent hominum connubia genti!
Iuverit arcanos quod vir cum coniuge sensus
Conferat, & socias studeant extendere curas
In commune bonum, communia vota precesq;
Iungant, & cura communi pignora tollant,
In commune bonum: tu quæ sanxisti hymenæos
Adsis O Hymenæe trias, hymen hymenæe.

Te sine connubium quis avos numerabit avorum?
Nulla domus sine te natos fert, nulla nepotes:
Per te hominum cœtus, per te commercia constant,
Per te fana Dei laudes sacrataque tecta
Templaque marmoreis reciuent suspensa columnis:
Per te Panchaïs adolescent ignibus ara.
Adsis O Hymenæe trias, hymen hymenæe.

Vosque quibus pars est divinæ mentis, & haustus
Ætherios trahitis, thalamis & compare nexu

Coniuncti, memori mea dicta recondite mente.
Cum volucres, pecudesque Deus discreverit ortu,
Et quæ squamigeris sulcant vada cærula pinnis,
Humanumque genus totum deduxit ab uno,
Strictior arctet amor quam quæ disterminat ortus,
Incutiatque novos socialis tæda calores,
Ardentesque imis accendat in ossibus ignes:
In te Evæ caleant æternis pectora flammis,
Tuque tuam observes æternis ignibus Evam.
Adsis O Hymenæe Trias hymen hymenæe.

Vos quia connubio stabili Deus ipse dicavit,
Eius iura pater, non solvet fœdera mater:
Qui te cunque locus, qui te tenet angulus orbis
Ille Evam teneat: si Phœbi littus utrumque,
Aut volucer pluviis alis quibus Auster in oris
Orditur cursus, Boreæ seu limina vises,
Arvaque Riphæis nunquam viduata pruinis,
Dulce onus usque tuo lateri comes hæreat Eva,
Adsis O Hymenæe Trias hymen hymenæe.

Tu qui uni sociate Evæ, cum coniuge coniunx
Vive una, unius thalamos unius & ambi
Amplexum, unius vultuque in vultibus hære,

Alter

Alter & alterius tantum ſuſpiret amores.
Adſis O Hymenaee trias, hymen hymenaee.
Eva viro officiis adſis, tu ſedulus adſis
Officiis dilectæ Evæ. Sit mutua prolis,
Mutua cura domus, res mutua, mutua vobis
Vota, preces, nec non ſors ſit communis utrique,
Vna ſalus vobis, corá, unum, atque una voluntas.
Adſis O hymenaee trias, hymen hymenaee.
Hæc ſunt quæ paribus ſtudiis communia vobis
Officia incumbunt, reſtant quæ propria cuique
Munia ſignare, & partiri limite certo.
Quæ tibi iuncta thoro, quæ in dextram convenit uxor
Iuncta etiam & menſa eſt: Hic te labor ergo invabit,
Solicitare ſolum ferro, atque impeliere glebas,
Et ſcrobibus ſtirpes, & credere ſemina ſulcis,
Atque oculos libro gemmaſque in cortice læſo
Inſerere, ut diſcant alieno adoleſcere trunco.
Meſſibus & falcem ſupponere, frugis acervos
Convectare domum, fœtu diſtendere cellas
Arboreo placitoque famem depellere victu.
Et quia conjugium moderaris frena, marita
Sceptra dedit quæ Deus, tu quam dedit utere ſorte,

Vtere

Vtere sed placidè: non Eva exordia planta
Pulverulenta pedis dedit, ut verniliter illam
Prosubigas pedibus, nec lumbi casta ingalis
Nunc sedes flamma, ventura prolis origo,
Ut patris imperio premeres, latus hausit apertum
Dextra Dei, lateris costâ datur aurea coniunx:
Sit lateris comes ergo, & sit sociale maritis
Imperium; sit mite iugum; sint mollia iura
Coniugij, & sævi non aspera iussa tyranni.
Adsis O Hymenaee trias, hymen hymenaee.
At qua creta viro, spe mater, fœdere coniunx
Tetua cura manet: si coniunx vomere presso
Insequitur terram, si sulcis semina mandat,
Et cultu renovat felicia ingera campi,
Ignavosque dies non umbrâ ignobilis otî
Ire sinit, pigro torpescere corda veterno
Turpe puta; quas ille dapes, qua lata reponet
Pabula, tu custos serva, tu fida ministra
Prome illi, & cunctos præsto sis commoda ad usus.
Quin &, coniugio quamvis dignata superbo,
Hunc dominum observa, totaque hunc suspice mente:
Quod melior pars ille tui, quod conditor orbis

Huius

Huius in auxilium tibi vitæ indulserit haustum,
Quod sexu præstet, quod ad eius finxerit ora
Ora tibi Deus, & lateris quia chara propago;
Sciscat & hæc totum qui nutu temperat orbem.
Heu quam grande nefas tot sacra revellere iura!
At si scita Dei sequeris, si iussa capessis,
Ætherijs deges ævum conscripta maniplis.
Hæc da connubij genitor qui præses & autor,
Atque hos prole bea numero quæ sydera cœli
Vincat, & Oceanus quas æstu volvit arenas;
Vt vidvas repleat sedes, & lucida cœli
Templa, quibus pulsi scelerati in tartara manes.

Ætherijs postquam modulis geniale peregit
Flammeus hoc Ales carmen, chorus aliger omnis
Plaudit, & hoc cœli resonant laquearia versu,
Adsis O Hymenæe trias, hymen hymenæe.

Felices animæ tu vir cum coniuge, iunxit
Quos sociâ tædâ & faustis Deus ipse hymenæis!
Quippe exors labis mens enthea corpore puro
Dotata ætherijs gazis & numinis haustu.
Quid referam vultus cœlestes? Quid decus oris
Augusti? Et roseum sinuatæ frontis honorem?

Æmula

Æmula ſyderibus quid lumina? Thuris odores
Spirantes nares? Quid malas ſuave rubentes
Luce velut primâ cum cœlum purpurat Eos?
Quæque magis niveo candebant corpora lacte?
Nil aberat quodcunq; beat. Sedet arduus alto
Compoſitus ſolio, terræq; incumbit habenis
Rex Adam arvipotens, parent infraque ſupraque
Sideraque & tellus, dextra lævaque miniſtrant
Alituum pecudumque greges, ſtant ante ferarum
Agmina, ut obſervent nutus & herilia iuſſa:
Ingenio quorum perſpecto, atque indole, dixit
Nomine quæque ſuo, quo ſigno obſtringit in ævum,
Auctoratque ſuis inſſis. Immania Cete
Tritonque & Phocæ, glaucuſque exercitus omnis,
Qui verrit tremula ponti vada livida cauda,
Procumbunt prono obſequio. Sedet ille ſuperbo
Interea quamquam in ſolio, quacumque ſub æthra
Sub leges mittens, non crines vitta coercet,
Non chlamydem auratam induitur, non fulget in oſtro
Aut picta ſplendet trabea, vel Iaſpide fulvâ
Stellatus rutilat, nullus velabat amictus
Corpora, non Cois pellucens veſtis aboris,

Nec

Nec quæ densa fugat bruma penetrabile frigus.
Nondum admorsa dabat teneris inimica labellis
Pensa colus, nondum prægnabat stamine fusus,
Necdum tela ingo pendebat, sedula necdum
Arte manus docto sociabat stamina plexu.
Nullaque Sidonio livebat lana veneno.
Verum ambo nudi degebant, nuda patebant
Membra oculis, oculos nec quid temeraret habebant.
Plena sed integro regnabat corpore virtus:
Non rubor infecit male pravi conscius ora,
Dejectus pudor fontes in pectora vultus.
Nondum etenim labis vitiarunt pectoris arva
Semina mortiferæ: nullis arsere nefandis
Ignibus, aut dulces hauserunt corde furores:
Nec cladem agricolis, silva populatus honorem,
Increpuit Boreas, pluvijs nec inhorruit alis
Vada inimicæ agmen devolvens imbrifer Auster:
Nec febrim morbosque graves, tardamq; senectam,
Aut rigidas parcas, & inexorabile lethum
Infandum scelus aut Cocytia regna dedere.
Vnde homini nil veste usus. Felicia prima
Tempora, felices animæ quas prima tulerunt
Tempora, felices victuræ hoc culmine rerum
Interris, terrisque procul felicius astris.

FINIS.

DE

DE LAPSV PROTOplastæ, & omnium in eo posterorum.

LIBER TERTIUS.

HOC apice in rerum stantes & vertice summo
Invidiæ tabo livens ut conspicit Orci
Arbiter, umbrabant cui tempora nigra cerastæ,
Horrendum fremit, & Stygias ululatibus umbras
Convocat, hasque rotat voces, & detonat iras.
Nos genij æterni, cœlo quibus ortus ab alto,
Sedibus expulsi atherijs loca lucis egena
Incolimus, sine fine damus, proh, vindice pœnas
Numine: & hic ADAM, *qui terræ filius, oras*
Telluris tenet, & cœli spe devorat arces.

Siccine

Succine nos Genij ruimus? Stat pulvere cretus?
Iuro ego Cocytum, iuro ſtygiumque paludem,
Et pice torrentes ſtuvios graveolentis Averni,
Sulphureoſque lacus, damnataque regna tenebris,
Quando opis haud noſtra cœleſtes vertere ſedes,
Caſtra triumphato vel numine figere cœlo,
Exitio humanam gentem me à ſtirpe daturum,
Expleturum odijs animum, gentiſque ruinâ;
Infenſum infenſa quia reddit imagine numen.
Aſſenſere umbræ ſtygiæ, auxiliaria ſpondent
Arma, iràq; fremunt rabidæ, & fera murmura miſcent
Agmen apum ut, quando populantur cerea tecta.
Ille ſub hæc: Nil O ſocij, nil viribus uſus:
Res tractanda aſtu eſt: nam adverſum pectus in hoſtis
Ferre irâ expromptâ, vel aperto invadere Marte
Non iuvat. Inſidijs gravidum pectuſque malorum
Fœcundum excutiens, animal ſolerſque decorum &
Texta notis rutilantem anguem, pulchreque rotantem
Multiplici nexu ſpatioſa volumina caudæ,
Ingreditur; ſtruit inſidias heu anguis in angue!
Incomitata viro forte uxor ſola per hortum
Regali incedit greſſu, ceu purpura lacte

Miſta

Mista, rubet; candetque rosis ceu lilia iuncta:
Cæsaries per colla fluit, seu cærula nubes
Solis inardescens radijs. Nunc arbuta spectat,
Frondosasque domos avium, & pubentia sylvæ
Brachia, nunc latos campos, nunc picta vireta,
Pulsantesque udis ripas singultibus amnes,
Volventes curvis fessas erroribus undas:
Luminaque his pascens fruitur fœlicibus horis.
Illi adversa ferens vestigia tortilis anguis,
Ut molles aditus & commoda tempora novit,
Ante pedes prono se vultu sternit heriles,
Adlambensque imas plantas, sic callidus infit.
O terræ pelagique potens, rerumque sub athra
O Regina! Poli quæ sceptra capessere digna!
Et Iovæ trisidum molari fulmen Olympo!
Quid terras habitas humiles? Aut si dea terram
Sub dutione tenes, cur terræ excludere fructu?
Qui victum tenuem pomumque parabile vobis
Invidet, an superûm dabit ille accumbere mensis?
Non dabit; etsi adversa sedet sententia mente,
Heu te vana fides, & spes delusit inanis!
Hæc serpens; non incassum, non irrita vento

Verba

Verba volant, errans seu nervo pulsa sagitta
Aufugit, & vacuas nequicquam verberat auras:
Nam si non hostem sternit primo agmine facto,
Munit iter letho: quippe illa immanibus ausis
Contra ire & referire ictus non fortiter instat:
Sed molli affatu mulcens, his ora resolvit.

Quisquis es, O tanto qui me dignaris honore,
Nos cælo invisos, odisse incessere amaris,
Pigra vel ignavum cepisse oblivia numen
Tu ne crede, notis rutilas qui terga decoris.
En horti vernantis opes, ubi silva comoso
Vertice pubescens in cæli enititur arces,
Undulares virides frondosaque regia surgit.
Aspice quæ pedibus substrata tapetia nostris;
Quam pallent, violas; quam candent, lilia; flavent
Quam croceã Caltham; quam dulce accendat amomũ
Quid memorem Zephyri spirantia flamina Stacten?
Et Myrrha lachrymas stillantes vulnere matris?
Nectare quid fontes, quid rivos melle fluentes?
Ætheriasque dapes? Quæ dives continet orbis
Quando Parens largus nostros indulsit in usus,
Arboris unius fructu dapibusque nefandis

Exclusit

Excluſit, quiſquamne Deum pulſabit avari
Crimine, livoris viruſve impinget Olympo?
Si nec vana fides nec ſpes me ludit inanis.
Ut bello ſegnes animos, & inertia corda,
Et iaculis adaperta videt, tum fervere pugnâ
Incipit & bellare ferox Acheruſius anguis.
Non iras tamen exertat, non fulminat armis,
Non galea induitur criſtata aut cingitur enſe,
Aut hoſtem torvus ſpectat, ferrumve laceſſit
Ille, ſed arte dolos nectens, inimicaque corda
Diſſimulans, bis aggreditur: Quid lenta reſidis?
Quid te cura Dei ſatagit? Quid ſcita remordent?
In vos illa Dei non mens animuſque benignus
Quem veris. Sacro quid vos abſcedere luco,
Atque epulis procul eſſe iubet, menſiſque deorum?
Dic te ſiqua lues inceſtat, dirave noxa
Impiat, & cur hoc meruiſti carcere plecti?
Aut ſi labe vacas omni, tabeſcere numen
Invidia ſtat certa fides, cœloque negato
Vos miſeros terræ gleba adſcripſiſſe colonos.
Quæ vos cruſta Deus vetuit contingere morſu,
Ambroſia ſunt illa dapes, & fercula cœli,

Lautitiæ Superûm summique cupedia lovæ.
Libatis his ore epulis vos regia cœli
Accipiet divos, vos nulla arcana latebunt,
Quæ sunt, quæ fuerant, quæ post ventura patescent:
Nec magis ex usu quicquam, aut iucundius vsquam
Quam secreta deûm, quamque orgia mystica scire,
Et mundi penetrare sinûs, atque ire per omnem
Naturam, & rerum cæcos aperire recessus.
Scire iuvat cœli quæ celant invia templa,
Vel latebrosa tegit tellus quæ nocte profunda,
Quæque serant glaucis loculis neptunia regna,
Æthere quot flammæ, quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, quot campus flavet aristis,
Æquora quot fluctûs; quotque æstus volvit arenas:
Et quotquot taciti clauduntur pectore sensus,
Ista tibi parvo constabunt magna labore.
Mala, quibus color est aurique aspersus & ostri,
Æmula Phœbæis flammis, roseisque quadrigis,
Carpe manu, & niveo simulac admoveris ori,
Undique fulgebit rerum nitidissima forma,
Quas mare, quas tellus, quas cœli continet orbis,
Clarius exoriens quam lucifer exerit ignes,

Cynthius

Cynthius aut cœli medio cum fulgurat axe.
Nec vos terrificent mortis crepitacula vana:
In vos iuris habet nil mors, nil ferrea fata.
Tu Dea ferali Libitinæ vincula collo
Æterna injicies, & mortem ſub inga mittes.
Has coluber poſtquam, ſtygio male gramine paſtus,
Flexanimis, ſuadæque potens, dedit ore loquelas,
Illa animum ancipitem partes didncit in omnes
Amplum, auguſtum, ingens ſecum decus eſſe volutans,
Cœli adytis hominem ſiſti, ſolioque Tonantis:
Eſſe deûm in numero, moliri tela triſulca,
Cœlitibus dare iura, & rerum flectere habenas.
Vt mens iſta probat, ſtragi diræque ruinæ
Fit via: ceu ſævis Boreas cum flatibus ornum
Incurſat, rapidas glomeranſque in turbine vires
Præcipitat culmen, ſinuatque in cornua truncum;
Ima quatit, ruptoque aditu furit agmine facto:
Nec prius abſiſtit quam totam aſtirpe revulſam
Eruat, & campum victrici murmure verrat.
Haud ſecus exitio incumbens furialis Echidna
Humani generis; quæ mentis ut occupat arcem,
Lataque funeſtæ reſeratæ eſt ianua labi,

Castra voluntati mox admovet, arma faceſq;
Expedit, & ſævire ferox non deſinit, hoſtem
Quam miſerum ſternat. Dominandi inſana libido
Namque oblita ſuæ ſortis, qua pulvere creta,
Incipit arma Deo inferre, atque oppedere Cœlo.
O ſcelus, O turpis macula, atq; infamia rerum!
Vile retrimentum terræ ſibi ſceptra deorum,
Et ſuperas ſedes, & divos ſpondet honores.
Dividit imperium cum ſummo famina Iovâ.
Quæ matutinas flammas referentia mala
Ut videt, aſpectus rapit, atque immenſa ſciendi
Impatiens æſtus, laudiſque inſana cupido.
His accenſa ſuper, ventris ſtimulante voraci
Ingluvie, victu ferali polluit ora:
Conſortemque thori trahit in conſortia culpæ.
Quem dulci alloquio & blando ſic allicit ore.
His oculis, & luce magis dilecte marite,
Dulce decus, columenque meum, tu, quo ſine vita
Non mihi vitalis, communes volvere caſus
Quando datum, quando communis pagina rerum
Atque accepta eadem, commune hoc accipe munus.
Inveni dilecte viam, qua iura reſigas

Mortis

Mortis, & ut Iova ſecurus fulmina temnas,
Eumenidumque faces & mentis verbera ſurda.
In quæ cruſta Deus voluit convertere morſus,
Ore avido legi, diuinaque iura reſolvi:
Nec letho patefacta via eſt, duroque labori:
En ſupero, valeo, veſcor vitalibus auris.
Quid niſi ſublimi reſtat ſuccedere Cœlo?
Atque augere Deûm numerum? Sed te ſine cœlum,
Te ſine dulce nihil. Terriſne inglorius erro
Subſides imis, & ego me dignor Olympo?
Eia age rumpe moras, atque iſtas deſere ſedes.
Laus quæ exors vitam ſylvis traducere opacis,
Atque errare inter pecudes & ſæcla ferarum?
Maliferoſque putare hortos, & ſtringere frondes,
Falce notare libros, & rura laceſſere ferro?
Dicimur at rerum moliri frena ſub æthra:
Heu miſeri reges! Verſamus raſtra, ligones,
Sarcula ſunt noſtri dentata inſignia regni.
Per dextram, & cœli teſtor ſpirabile lumen,
Per latus, & lateris crates, atque oſſea tigna,
Unde genus duco, ſi quæ te cura remordet
Coniugis, ut vinclis atque hoc te carcere ſolvas.

Ideçus o noſtrum mecum ſuper ardua cœli;
Ante feram greſſus vel paſſibus ibimus æquis.
Tu ſi hoc ore leges pomum, te liſtet Olympi
Culmine, vbi totum torquebis numine mundum.
Hæc vbi fata, viri virtus ſuccumbit, vt infans
In cunis poſtquam ſomno luctatus inerti
Cèdit, & alta quies toto ſe corpore fundit,
Cum deleniſici mulcetur murmure falli.
Creſcit dira lues, & laudis noxia vanæ
Aura inflat, tumet vt pelagus ſtridente procella
Dum furit & cœlum ſpumoſà verberat vndà,
Ergo amens animi rapitur, veſanus edendi
Ardor agit: manibus carpit fatalia poma
Mentemque infandis epulis atque inquinat ora.
Heu coeunt noxa cum conjuge famina pellax!
Famina tu pellax magis, an male credulus ille?
Credulus ille mali, ſed tu quoque famina pellax
Conſumptis vetitis dapibus menſiſque remotis,
Evinctus lauro victricia tempora ſerpens
In cœlum attollens criſtas & ſibila colla,
Arduus impuro victor canit ore triumphum.
Peccati interea illuvie & contage nefanda.

Sordet

Sordet homo, luces & conscia sydera noxæ
Exodit, cœli tædet convexa tueri:
Apparent maculæ turpes in corpore toto,
Atque animo simulachra modis horrentia miris
Visuntur, mens Cimmeria velut obruta nocte
Cæca iacet, monitisque Dei parere voluntas
Nescia, dura riget, veluti Marpesia cautes.
At cordis stabulant latebris monstra, horrida monstræ
Qualia, confractis lumbis hircosa Libido:
Ingluviesque vorax, avidi quæ lena palati:
Ira ultrice flagro & palla succincta cruenta:
Ventosa Ambitio streperis resonantior Euris:
Livor edax lanians crudeli viscera morsu:
Fauce inhians opibus nullis expleta Cupido:
Torpida Segnities tardo correpa veterno.
Africa quot monstris, quot pullulat Hydra colubris,
Tot scelerum apparent species; pudor ora colorat,
Succutiturque metu, vindex vis conscia mentis
Perfurit, & laxis late bacchatur habenis;
Exagitatque animum tædis furialibus horror.
Tum cœlum illabi & circum tremere omnia visa:
Styx, Acheron, Phlegethon, chaos, & regna invia lœti

Dirus

Ditis, & horrisono stridentes cardine portæ
Panduntur, flammasque vomunt, subitoque tumultu
Tota coit signis infestis machina mundi.
Nil liquidi fontes, nil dulci nectare rivi
Manantes, nil prata iuvant, nec amæna vireta,
Coniferæque nihil Cypariſſi, aut ardua pinus,
Aereæ Quercus, vel Laurus ſacra triumpho,
Aut Cedrus vernans æterna frondis honore:
Omnia plena metu. Tum quo veſtigia flectant
Incerti, ſicum foliis ramiſque fluentem,
Arcentem viridi Cœlum caliginis umbrâ
Proſpiciunt: illuc trepida formidine tendunt:
Membraque velare accelerant, quæ nuda patebant
Præcipue genitale arvum, quod ſemina gentis
Humanæ reparat, ſordebat labe pudenda.
Scilicet hac omnes quia Patris noxa nepotes
Implicat, & totam funeſtat crimine gentem:
Inde notas arvum ſervat genitale pudoris.
Id quibus incruſtent dubij tectoria quærunt:
Attoniti trepidante manu folia ampla revellunt,
Lævia deducunt tenui de cortice fila,
Feſtinantque operas miſeri, & ſubcingula lata,

Turpe

Turpe ministerium! properant molimine vano,
Vt noxæ maculas folioso tegmine velent.
Interea medium Titan traiecerat axem,
Mitior increpitat cum vernans aura diei:
Adventante Deo incipiunt iuga celsa moveri,
Sub pedibus trepidare solum, & mugire cavernis,
Auditique fragor, tonitruque tremiscere lucus,
Horrificans sonitu ventus crebescit ad aures,
Voxque Dei insequitur, vociscque volutat imago,
Per nemus inque minans ADAM: ADAM, *qua loca, quate*
Terrarumque tenent sedes? Commercia nostra
Congressusque fugis? Sylvis quid te abdis opacis?
Prodi ADAM, *nec te aspectu iam subtrahe nostro.*
Ille metu pallet, fugit omnis corpore sanguis,
Stantque horrore comæ, trepidat crepitantibus auris,
Populea ut folia, aut canibus circumdata Cerva.
Spes ubi nulla fugæ, loca nocte silentia quærit,
Obsita vel ramis vel vasto immania hiatu.
Ferrêa unde Eumenides & parcere nescia Erynnes
Excludunt latebris cunctantem ultrice flagello.
Tum planctu gemituque & tartareo ululatu
Mœrens hæc fatur, dejecto in pectora vultu.

O Iudex, nova me facies inopinaque terret,
Me macula turpes, nudæque in corpore sordes,
Et cruciant duris exercita pectora pœnis:
Me ferus horror agit, mihi non vernantia prata,
Non vitreï fontes, cœli non aurea templa,
Nec sunt grata mihi sub vtroque jacentia Sole:
Iudicis ora Dei sic terrent, lancinat ægrum
Sic pectus mihi noxa. O si mî abrumpere vitam,
Et detur pœnam quovis evadere letho!
Ipsa parens vtinam mihi tellus ima dehiscat!
Adpiceas trudar que vmbras atque infera regna!
Montibus aut premar injectis cœlique ruina!
Ante tuos vultus, tua quam flammantiaque ora
Suspiciam, caput obfectem & cœlestibus armis.
Cui Deus: Vnde pudor maculæque in corpore turpes?
Vnde fuga hæc? Quæ te transversum fœda cupido
Abripuit? Num dira fames stimulavit edendi
Quæ vetui, dominaque gula cadis hostia fœda?
Contra Adam, nullas latebras & cæca iuvare
Antra videns, canis vt rabidus qui exuritur æstu
Lympharum fugiens spumis fluit ore tremendo,
Cumque explere iras atque exsaturare furorem

Non

Non valet, inſanis cœlum latratibus vrget.
Efferus haud aliter furijs & Erynnibus actus
Savit inops animi, nec habens quem crimine pulſet,
Oſcelus! In Numen commiſſa piacula transfert.
Nonne tenes, inquit, cum me ſopor altus haberet,
Dulcis & alma quies placidæque ſimillima morti,
Quod lateris textum falcataque tigna reſolvens
Conſortem dederas thalami? Te te auſpice tadas
Conjugij accendi, tu conciliator amoris,
Tu paranymphus eras: Tu quando pararius vnus,
In te culpa redit: Per te dotale venenum
Hoc ego concepi. Nam quæ mihi lege jugali
Iuncta fuit, noſtro per te dignata cubili,
Blanditijs teneris noſtris amplexibus hærens,
Igne genas flagrans, vt lilia cætera candens,
Ferales epulas inimicaque fercula ſuaſit.
Tantum pollet amor dominæque potentia formæ!
Hinc Evam ſceleris cauſam rogat, edere mandat,
Cur hoc auſa nefas? Quæ tantæ exordia labis.
Illa, via vt primum voci laxata dolore,
Colluctans lachrymis hæc ſingultantia reddit
Verba. Sator rerum quem tu molitus es anguis

Squamea

Squamea cæruleis stellatus tergora guttis,
Tartareum subdit tacitè ad præcordia virus,
Flammasque implicuit lethales ossibus imis.
Vt vidi, & tristi violavi lumina visu,
Tum ferus error agit, tum me mihi dira cupido
Abstulit, & vana me laudis inebriat aura:
Luxuries peregrina gula, fructúsque negati
Ambitiosa fames stygium misere sub orcum.
At finxit tua dextra ora, & tua dextera pinxit
Terga notis variis; quo pollet acumine rerum
Muneris omne tui est. Et nos addicimur Orco?
Ecquid ad hoc cœlum non sudas? terra tremisco
Ora uti Thessalicis Titan contacte venenis
Non palles? mundi non machina tota laboras?
Insimulare audet vilis ne argilla Tonantem?
Et damnare reum? culumque arcessere noxæ?
Sed dum amolitur culpam, vis cæca reclamans
Vellit, & admonuit proprio quod crimine pœnas
Penderet, ut sternax sonipes suffragine læsa
Cessitat incessu & frano parere recusans
In dominum qui lora regit sæumantia vertit
Ora, at quo magè calce ferit, vel dente remordet,

Hu

Hoc magis infestis sessor premit ora lupatis,
Atque armos stimulis & verbere terga fatigat.
Haud secus incusat numen dum fæmina, cœlum
Criminibusque vrget, stimulis præcordia Iudex
Perfodit, & pectus furiali verbere cædit.

HUMANI

HVMANI GENERIS
per CHRISTUM
reparatio.

LIBER QUARTUS.

MOX ſcelerum vindex rerum cui immenſa poteſtas,
Cœlituum ſtipante choro, ſeſe arduus infert
Auguſto ſolio: Dum magno fluctuat æſtu,
Alternante animo, num terras igne triſulco
Deleat, an pelago plenas immittat habenas,
Anne luto meliore genus mortale refingat.
Tergeminæ circum ſtant nocte dieque ſorores:
Blanda ſerenato vultu, præcinctaque olivâ
Sublatis ſupplex manibus Clementia dextram
Cingit,

Cingit: & æquato quæ cuncta examine pensat
Ense Themis stricto claudit lævam: Omnia lustrans,
Enodare potens quod inextricabile nexu
Has inter mediam sese Sapientia sistit.
Tunc exorsa Themis dictis his aggerat iras.
Ecquid adhuc culpæ restat? Neque meta modusve?
Cælituum sedes superasque piavimus oras,
Præcipites dedimus cum nigra in Tartara Manes:
Nunc nova succrescunt scelerum contagia terris.
Namque lutum fragile, & figmentum face rubenti
Vilis humi, æthereo flatu quem traducis auræ
Formasti cæleste animal, caput esset ut orbis,
Et maria & terras omni ditione teneret,
Cuique tuæ ut soboli cælestes annuis arces
(Luxuriata bonis hominis natura quod optet
Non habet vlterius) nunc laudis adorea vanæ,
Famæ & dira fames, mentemque evanida palpans
Gloria transversum rapuit, fallacis Echidnæ
Hortatu, nec non & coniugis illice formæ:
Sese æquare Deo, nil pensi ducere jura,
Affectare polum, detrudere numen Olympo.
O pudor! ingratique animi indelebile stigma!

Ambiti-

Ambitionis apex! extremaque linea fastus!
Quin rens hoc quando pulsatur crimine, numen
In crimen vocat ille, suæ causamque refundit
Labis in artificem, veniam neque quæstibus orat.
Hocce nefas vllo tam prodigiale piari
Posse putem lustro? Sontes absolvere pœnis,
Haud nos iura sinunt. Nullus mihi debita culpæ
Decoquet, is terræ civis seu civis Averni,
Vir geniusue siet, nullo discrimine habetor.
Huc huc ardentes atrâ caligine tædæ,
Huc infelices vmbræ tortore flagello,
Huc quicquid furiarum orco est accedite, in istos
Irruite & tantam terris avertite pestem.
Sunt furiaque faceſque anguſtaque Tartara pœnis.
Hinc largo humectans Clementia flumine vultus
Has reddit supplex voces: Regnator Olympi
Si precibus locus, & miseræ di copia siqua,
Da finem ærumnis, & rebus consule fessis.
Desine pœnarum, neque vindex stringere fulmen
Perge oro: nuper manes vltricibus iris
In loca nigra dati: pennâ se tollit ovanti
Supplicio Themis hoc, laudes per sæcula dicens.

Aſt ego quæ Cœli decus, & palmaria virtus,
Si nulla adſpiret veniæ ſpes, nulla ſalutis,
Quæ recreat ſontes animas mulcentibus auris,
Opprimar ignavæ lethes Clementia nube;
Durus & indocilis flecti Regnator Olympi
Audiet, & laudum meſſis facunda peribit.
Quin lege innatâ quamvis bonitatis in ævum
Omne nefas odio tibi ſit, depoſcere pœnas
Commeritas nullâ fatali lege teneris.
Namque potes ſontis vel ſanguine tingere cultros,
Vel potes arbitrio gratis abſolvere pœnis:
Adde quod irarum cum parcis, parcere largis,
Exercere malis, peſſundare, ſternere letho
Res exoſa Deo eſt: Illud non impete prono
Sed lento exequitur ſtudio & molimine tardo.
At cumulare bonis inopes, ſuccurrere lapſis,
Conſulere afflictis, oppreſſos clade levare,
Diva eſt mentis opus, quod Cœli geſtit obire
Arbiter, & ſtudys jactat ſeſe impiger iſtis.
Nec minus hæc tecum reputa, quod fœmina ſimplex,
Nata ſolo dum ſola errat, non intus & a ſe
Concepit furiale nefas, fallacis Echidnæ

Capta dolis, nullo rerum usu edocta vel arte
Succubuit culpæ, cujus mucrone resolvit
Dum jugulum pectusque fodit, transfigere numen
Per latus humanum certat Cocytius anguis.
Scilicet ille suis odijs dum perlitat hostis,
Livor edax stimulis pectus dum lancinat ægrum,
Nec fato videt esse Deum nec legibus ævi
Aut opportunum damnis, furit efferus irâ,
Inque Dei effigiem belli convertere molem
Occupat, occultans odij lethale venenum.
Expendat scelus ergo, luat peccata, nefandum
In caput hoc Cœlo mistas pice congere flammas:
Fulmineas immitte acies, atque obrue plagis.
Saltem hominis miserere, hominis quem devius error
Transversum tulit incautum, gentemque nec omnem
Unius exscinde ob noxam. Tot funera letho
Dedere, tot miseros sub Tartara mittere Manes,
Totque suis Cœli viduari civibus oras,
Non tua fert bonitas, non celsi nominis aura.
Quippe Dei umbrarum nullæ, quæ nocte sub atra
Infera stagna colunt, in laudes ora resolvent.
At genus humanum placido si lumine cernes,

O te quanta manent, Genitor, præconia laudum!
Mortales tibi dona ferent, operosa dicabunt
Templa, coronatas vittatus corniger aras
Imbuet, & thuris nebulas halabit acerra,
Extaque porricient pateris fumantia pandis
Sacrifici, & latis onerabunt æthera votis.
His vbi blanda dedit dictis Clementia finem;
Quæ rerum ambages percurrere, solvere nodos,
Et lucem obscuris dare, quæ componere lites,
Et magnas rerum moles evolvere docta
Sic orsa est tandem Sapientia: Pondera verbis
Si sint vlla meis, dulces mage luce sorores
Dilectæ, celsas dicenti advertite mentes.
Sancta Themis poscit pœnas & detonat iras,
Et lenis scelerum veniam Clementia poscit,
Inter se infestis visæ concurrere signis:
Nec proclive adeo est tantos hos sternere fluctus,
Ardua sed tentanda via est, loca nullius ante
Trita pede: o facilis res admiranda futuris!
Ante mare & terras Cælique micantia castra,
Temporis acta citis quam curreret hora quadrigis,
Dum genius humanum fatatum labe volutat.

Ante oculos atque ora Dei, tum addicere Averno,
Et dare supplicijs mactandum manibus Orci
Res erat arbitrij: sed gratis solvere noxa
Hos placuit, meritas illos expendere panas.
Tunc ego quæ latebras penitas sensusque repostos
Eruo, vos nunquam temerandâ pace ligavi.
Fixa stetit, nec dum versa est sententia retro,
Magna Patris magni ut soboles statione relicta
Sydereâ, naturâ ipsâ mirante, subiret
Virgineos uteros, intacti templa pudoris,
Humanam sine labe animam, sine crimine corpus
Arcano indueret non extricabile nexu;
Ut scelerum maculas & panas cæde piaret.
O maris & terræ quæ exhaurict ille pericla!
Quanta cohors animum curarum distrahet ægrum!
Ille casas humiles habitabit, & hospita tecta
Vile dabit stabulum, comites armenta pecusque,
Et præsepe dabit magno incunabula Regi.
Inde solum vertens, Pharijs sese abdet in oris,
Unde redux victu traducet paupere vitam,
Verna sub auspicijs patris vertentibus annis
Ter denis, donec lustrali flumine tinctum

Mittet

Mittet in auguſtum munus vox edita cœlo.
Tum loca ſola petet, ſalebroſis invia dumis,
Vomeris ignara, & latebris horrenda ferarum,
Aſpera, hiulca, iugis celſis æquantia nimbos:
Vicenas ubi bis totidem cum lucibus umbras
Egerit, & nullis dapibus temeraverit ora,
Continuo ſtygias didetur fama per oras
Adventare Dei prolem, regna infera verti,
Reſtituique homini natales, perpete ſontes
Supplicio urgeri. Feret hæc ut nuncia fama,
Undabunt orci conferto milite cives.
Umbrarum noctiſque potens ſe primus arenæ
Inferet, & ſegetem telorum congeret ardens
In ſanctum caput hoc. Ut ſe glomerare phalanges
Et fruſtra in bellum ruere, & fruſtra arma rotare
Advertet, mox terna manu queis millia ſternit
Spicula corripiet, Stygio ſaturata veneno.
It primum per inane volans, ſtridente ſuſurro,
Dira ſonans, patrem capiſſe oblivia nati,
Non tangi curâ, non ſollicitudine carpi,
Obieciſſe fami, miſiſſe & nuncia proli
Ut res ille ſuas habeat ſibi, fercula quærat:

Ni panis duras silices convertat in vsum,
Fatisero mortem cervici incumbere ferro.
Vt sanctum pectus non hoc penetrabile telo
Viderit; ut vento portum qui forte restante
Non potis est capere, is malos & linteavela
Carbaseosque sinus obliquat, tendere rectà
Qua nequit, incurvo radit vada carula cursu.
Sic gnarus versare dolis, & imagine falsa
Ludere Tartareus Coluber, contingere metam
Se non posse videns primo molimine, cursum
Mutat & ad palmam converso tramite tendit.
Advigilare refert Patrem, cinxisse coronâ
Cælituum densa natum per nota viarum
Ire redire vetat, turris de vertice præceps
Si ruit, in columis ferretur ad ima barathri.
Hæc sacri eloquij monitis ubi tela retusa,
Sola manet mundi fallacis gloria pellax.
Audax o facinus! Deserta per avia vectum
Monte locat celso, qui culmine pulsat Olympum.
Vnde ostentet opes terræ nunc pinguia culta,
Lautitias monstrans Cereris, nunc pascua lata
Pratorumque decus, ruris genialis honores,

Malise-

Maliferoſq́, hortos & cœlo tecta ſuperba,
Emula quæq́, Tagus, quæ volvit & aurifer Hermus
Quique Phari ſaturat fœlici uligine terras:
Telluris quicquid reſluâ mare ſubmovet unda
Ante oculos: ſiſtens, hæc ſe ditione tenere,
Hæc dono dare ſe ſpondet, ſi ſupplice voto
Genva manu prenſans ſacros ſibi mactet honores.
Quod tam grande neſas omniq́, piamine maius
Non impune ferens, prædonem voce minaci
Admanes abiget, luciſque carentia regna.
Poſtquam fuſa acies quæ miſſa Acherontis ab oris
Crudeſcet terris nova pugna, noviſque procellis
Vaſtum ærumnarum pelagus reſtabit arandum.
Namque inopis vitæ ſortis ſub faſce gravatus,
Nudus opum, tectique expers, atque omnium egenus
Errabit, multum terris iactatus & undis.
Ac ſua cum ſpelæa feris & turba cavernis
Prædatrix lateat; quæ cœlum remige penna
Tranat avis nidis foveat cum coniuge natos:
Authori rerum, qui cœlum frænat habenis,
Imperioq́, premit terras non dulce cubile
Quo recreet feſſos ſtratis in mollibus artus,

Non tuguri brevis umbra datur, non vile mapale,
Tegulave, aut imbrex, pluvias quibus arceat undas.
Quin &, signa licet dederit testantia numen,
Dum fugat obsesso sceleratos corpore manes,
Dum maris irati furias stridentiaque Austri
Murmura voce premit, dum fluctus cærula dorsa
Substernunt sanctis & libant oscula plantis,
Et vini in latices dum fluminis induit undam,
Membraque mortifero sanat squalentia tabo,
Atque auris reserat dicto pollente meatus,
Laxat iter voci &, damnataque nocte silenti
Lumina restituit, positosque in limine lethi
Sublevat, & fati perfringit ahenea iura,
Non tamen effugiet liventis spicula linguæ:
Non modo plebs tunicata, aut qui ius dicit ab alto,
Cui Melibœa tegit Mæandro purpura vestes,
Sed quos & niveâ circundabit infula vitra,
Nocte nigra & nebulis satagent involvere famam;
Arcessent illum sceleratæ adsuescere turbæ,
Tartareos manes Erebi rectore fugare,
Indulgere gulæ & geniali vivere mensâ:
Bis ternis tandem & trieteride mensibus actis

Muneris

Muneris in ſacri decurſu, morte inhonorâ
Multantes, trunco diſtendent corporis artus.
Si dubium tantæne animis mortalibus iræ,
Anne odia hæc ſata nocte nigra ſtygioque barathro,
An pœna adſcribenda Deo, cuncta ordine pandam.
Rex hominum, rex cœlitum, qui eſt omnibus idem,
Omne malum plectens, quia Natus debita culpæ
Tranſtulit in ſe hominum, pœnis advertere duris
In Natum, non Nati odio, ſed iuris amore
Decrevit: verum genij, qui ſulphure rivos
Et pice torrentes habitant, noctemq́; profundam,
Et quæ monſtra ferat tellus, hos prava libido,
Hos maleſuadus aget livor, quippe arbiter Orci
Progeniem audierat plenis vertentibus annis
Excidio venturam Orci: ſic volvere fata.
Inſuper acceſſus, genij quod linquere iuſſi
Hoſpita tecta ſoli, tetráque voragine ripis
Carceribuſque premi, vittatus crine colubris,
Viperco in ſolio reſidens, Erebumq́; Chaoſq́;
Atque Acheronta movens, fontes affabitur umbras.
Non ſatis, O ſocij, nos plecti ſimplice pœna,
Non ſatis eſt adytis cæli, ſatis ætheris oris

Extrudi,

Extrudi, verum & terris excludimur imis:
Nec datur humanis laribus considere, corpus
Incursare modis miseris, ludosque cruentos
Edere, visceribusque haurire & reddere voces.
Nam nova progenies Cœlo demissa supremo
Nos fugat in tetra hæc graveolentia regna Mephitis
Horror vbi & ingis resonans sub verbere planctus.
Ergo operas conferte, animis concurrite iunctis,
Sunt vires nobis facundaque pectora fraudum,
Mille nocendi artes, promptique ad iussa ministri:
Ante alios auri coquit insaturata cupido
Iscarium, gerit ingenium versatile ad omne
Flagitium, exigui si spes affulserit æris,
Hunc dirum in facinus februis lustrabile nullis
Impellam, & scelerum tantorum moliar orsus.
Vos socij stimulate odijs & laudis amore
Legiferos proceres, quosque ambit sancta tiara,
Dona adolentque aris, & templum thure vaporant,
Huic si surgat honos, nomenque sacra verit ævo,
Vita inhonora stygis nobis ducenda palude est.
Niruat hic, ruimus: Ni vitam morte cruenta
Commutet, miseri fatis vrgemur acerbis.

Hæc

Hæc Orci ut rector, transfixi corda furore
Cocyti manes, queis noxia crimina cordi,
Grandinis in morem glomerati Acherontia tela
Expedient, atras nebulas, ut pectora opacent,
Irarumque faces, vindictæ dulce venenum,
Mordaxque invidiæ tabum, frandisque recurvæ
Amfractus varios: Dux Orci atque agminis atri
Sævit avaritiæ monstro metuendus, & armis
Fulminat, Iscarij pectusque cupidine habendi
Per fas atque nefas furiat: Non corpora lecto
Sternere, nec dulci sinit indulgere quieti,
Exiguo dominum quam censum prodigat ære.
His infestæ armis Erebi sine imagine forma
Per medias Solymas bacchantes, cuncta tumultu
Involvunt, sævitque animis sacer ordo Senatus,
Mystarumque chorus, cumque his ignobile vulgus,
Coniurant Christum scelerati exscindere terris,
Et iam fatalis, iam decretoria venit
Hora, dies quando toto concessit Olympo;
Iscarius faber ipse doli, stipante cohorte
Armata iaculis & robore torris obustæ,
Ad vallem irriguam tendit, consuetaque culta,

Sangui-

Sanguineis toto rosolutus corpore guttis
Christus ubi supplex pulsat singultibus æthram.
Est locus extra urbis Solymæ pomœria sacra,
Valle ima monti frondenti iunctus olivæ,
Pomifer hortus ubi gemmanti vernat amictu:
Hoc in secessu positus quos ille dolores
Hauriet, & quantâ sternetur nube malorum!
Obsidione dolor cinget, ceu densa corona
Circundat muros, versabit turbine duro
Lucta gravis, gelidi quatiet formidoque lethi.
Ter revolutus humi maculosus pulvere nigro
Fletibus ora rigans palmas ad sidera tollet,
Multum orans Patrem tristes avertat ut iras,
Neve sinat natum sub iniquo fasce gravari.
Proditor interea Iscarius dux agminis audet
Grande nefas, dat signa suis, non qualia bello
Tympana tenta tonant, vel quando cymbala clangunt
Concava, & assensu conspirant cornua rauco.
Corripit amplectens ulnis, fucataque figens
Oscula, fallaci dominum rogat ore salutem.
Innodant palmas vinclis, & brachia stringunt.
O scelus! ipse parens rerum qui mœnia mundi

Molitus manibus, manibus poſt terga revinctis
Ducitur ad cædem, noxæque arceſſitur inſons!
Fitque reus toti iudex qui iura dat orbi!
Et vitæ Ligno funeſto addicitur author!
Nec meditando animus, nec fando lingua dolores
Æquiparare poteſt. Impactis regia pugnis
Liveſcet facies, nodoſo terga flagello
Sulcabunt, fœda conſpergent ora ſaliva,
Ardua vulnificis pracingent tempora ſpinis,
Et lignum ferale humeris geſtamen iniquum
Imponent, cœlo demiſſum Numen ab alto
Furcifer (horrendum) compunctus ſtigmate, campos
Luſtrabit, lentos referens ad Golgotha greſſus,
Golgotha quæ tabo ſqualleт, quæque oſſibus albet.
Rituubi non patrio, ſed panam more ſubibit
Auſonio, trunco ſuffixus, triſte piaculum.
Hebrais etenim quadruplex inoleſcet in oris
Supplicium, ſontes aut ſternet lethifer enſis,
Vel dextra infeſta iaculatus ſaxeus imber
Obruet, aut arcus inimica incendia paſcent,
Spiramenta animæ colliſave guttura claudent.
At crucis hic pœnas alieno crimine pendet

Accitas

Aecitas de gente Itala: mors ista cruenta
Expiat effuso commissa humana cruore,
Lentaque mors lento cruciatus vindicat orci,
Infelixque beat falci luminis haustu.
Viderit infanda se quando hâc morte relictum,
Subsidiumque patris querulo clamore vocârit,
Illibatam animam patrio mandabit Olympo:
Milesque exanimes per costas exiget hastam.
Agmen aquæ ut bisidum clivosi vertice montis
Fertur in abruptum, frâctâque remurmurat vnda,
Sic latices cordis latebris & sanguinis vndæ
Vi magna immistæ erumpent, mirabile visu,
Tingentque ingratas illisa aspergine terras.
Ac licet iste cruor manabit corpore toto,
Corde, manu, plantis undantius impete prono
Prorumpet; quia corde nefas effingitur omne,
Exequiturque manus, pes &, quod corde volutum.
Tandem tergemino perfossum membra trabali
Cuspide fœdatum concreto sanguine crines,
Ora cruentatum & corpus lugubre rubentem
Sol videt, ut qui cuncta videt, caput occulet vmbrâ
Et ferrugineo vultus obnubet amictu:

Luna,

Luna ſoporiferos radios in nubila condet,
Inferiasque dabit Regi mœrentibus aſtris.
Terra tremet, vaſtoque immania ſaxa fragore
Sedibus excedent, manes ruptiſque ſepulchris
Exuvias repetent, reſolutaque fœdera mundi
Concurſu trepido, fato ceſſiſſe parentem
Deflebunt mœſtis numeris & murmure rauco.
Quæ nunc ſancta Themi ſurgit ſententia mente,
Cernis ut exuperant humana piacula pœnæ.
Mortalis non iſte cruor, vel vulnera tantum
Terrigenæ: cruor iſte Dei: latus hauſit apertum
Haſta Dei, mortis ſub leges mittitur atræ
Ipſe parens vitæ trajectus brachia clavis.
Tantæ molis erit lapſam reparare ſalutem!
Huius ſi mortis merito confertur ubique
Quicquid pœnarum meruit vel noxa vel error
Humanus tantum ſuperabit, machina quantum
Telluris radijs volitantia corpora ſolis,
Aut vaſti quantum pelagi circumfluus humor
Collatus rori qui gramine lubricat orbes.
Ergo Themi quando pœna ſuperante lutabit,
Præſque Dei proles ſuſceptæ nomina culpæ

Diffla-

Dissilabit, tabulasq; novas dabit ære sine ullo,
Desine vel cœlo vindex arcessere fulmen,
Carnificesque nigro manes Acheronte ciere:
Satque superque datum cruciatu ultricibus iris:
Pone animi motus, decoctaque debita culpæ
Mitte queri, & placido mortales respice vultu.
At quæ velatis manibus Clementia supplex
Genua Dei prensans pulsas prece supplice cœlum,
Pone modum lachrimis, & curis exue mentem:
Fit voti mensura tui, revocatur ab Orco
Gens hominum, & cœli cognata sistitur æde.
Quippe Dei soboles agnus sacer, imbuet aram,
Libabitque patripurum sine labe cruorem:
Quo simul & vitæ meritis, non sarcis acervo,
Non pecudum fibris, Panchæa aut messe, litabit:
Intritam & sine fine viam signabit Olympo.
Unde quibus certa insidet fiducia cordi,
Anget & errorum quos alte vulnus adactum,
Qua sol mane levat, qua condit vespere currus,
Omnibus exposita est venia mortalibus ara.
Nec te divini cælo quos aura Favoni
Restituit, duros terri hos volvere casus

Commo-

Commoveat; medicina mali non pœna meretur
Censeri, queis dura liquat, quibus aspera lævat
Corda Deus, nocuam & vitiorum comprimet herbam
Ergo licet pœnis Erebi clementia cœli
Adamum levat, & tandem super athera tollet,
Quod tamen accubuit mensis conviva nefandis,
Ducenda est illi per dura, per aspera vita.
At quæ causa mali, triplicem per sibila linguam
Exertat, saniemque vomit Phlegethontis Echidna,
Ævum aget æternis pœnis lachrymabilis Orci.
Sic tibi justitiæ laus nulla ex parte minuta
Constat sanctæ Themi, constat Clementia laudis
Fama tua, & nomen per totum differet orbem.
Hæc ubi firma dedit rationum pondere dicta,
Diffugiunt litis nebulæ, & pax aurea vultus
Exerit: ut Phœbus referat cum lumine cœlum:
Tempestas postquam glomerans pluvialibus austris
Eripuit lucem, atque æthram prætexuit umbris.
Sic Dea blanda nitens concordi lege sorores
Consociat, coeunt inter se fœdere firmo,
Oscula que alternis Themis & Clementia libant.
Annuit Omnipotens, sævasque effusus in iras

Ora rei ſpectans colubri maculoſaque terga,
Sic inſit. Caput infelix, quia labis origo,
Atque omnis quia cauſa mali, ſententia quæ ſtat
Accipe. Devoveo diris te in ſæcula: verres
Ima ſoli ſpatijs curvatis pectore prono,
Horrendus maculis, multoque volumine teter,
Cunctiſque inviſus deſerta per avia vitam
Exul ages, loca ſenta ſitu, atque horrentia tophis
Teſqua coles. Tibi victus erunt, meníæque dapales,
Pulvereæ ſordes, & ſudor inutilis agri.
At tu, corda gerus Stygio qui fœta veneno,
Qui tenebras habitas Orcique inamabile regnum,
Quam tecum infausto firmavit fœdere pacem
Fœmina, dejciam, & funeſta in prælia vertam:
Æternas iras æterni ſemina belli
Ecce fero, tecum committam in prælia prolem
Fœmineam: nec erit lis hac de paupere regno,
Ipſa ſalus agitur, rerumque hoc cardine cœli
Vertitur imperium. Non illis ære trilici,
Aut lorica opus eſt, clypeove niteſcere in aureò,
Fulgura ſydereo qui umbone trementia mittat,
Vulnificumque humeris validis aptare bipennim,

Dura

Dura manu aut lato crispare hastilia ferro?
Arma sed æthereis adytis cœlestia promam:
Qualia Simplicitas, quæ nullis oblita fucis,
Cum Vero conserta, rigebit balthea horrens:
Iuris amor thorax; ocreæ Patientia victrix,
Mille adversa premens pedibus, discrimina mille.
Certa Fides clypeus nullo penetrabilis ictu:
Spes infracta malis, nec non præsaga futuri
Cassis erit; sacris signata Oracula chartis
Lethifer ensis erunt; operis sint vota precesque
Pars extrema: istis quisquis splendescet in armis
Exibit cunctos ictus, inimicaque tela.

Insuper adveniet tempus, quo stirpe creatus
Faminea, umbrarum clades sub nocte silenti
Ætheriis rutilans armis te in prælia poscet.
O quantus ruet in bellum! quantum instar in illo!
Turbine se quanto adversum iactabit in hostem!
Hic quando patriam consurget torvus in hastam,
Irritus assultu talos (nihil altius) imos
Arrodes miser, & tantum mortalia lædes.
Ille sed armipotens dum bello fulminat ardens,
Attollens agram librato pondere plantam,

In caput effundet vires, regnoq; animaq;
Exuet, & Stygio mactandum tradet averno.
Tum Pater ad dextram convertens lumina, ſtabat
Mitis ubi placido vultu Clementia, verbis
Increpat his Evam venia ſpem fronte ſerenans:
Tu qua creta viri lateris compage ſoluta,
Et qua conjugio per me dignata ſuperbo,
Terrarum pelagique potens, ſoloque marito
Imperio minor, exundans quam gratia rivis
Plena beat, ſic pro meritis male grata reponis?
Spondenti mihi nulla fides? mea ſpreta per auras
Iuſſa volant? non te lethum, non tartara terrent?
O pudor! O labes! figmentum fœmina terræ
Arma movet cœlo? & Stygio ſociata tyranno
Abrogat imperium Iovæ? incautumque maritum,
Naturâ fratrem, patrem ortu, & lege marita
Ductorem & dominum, labis contage nefanda
Inficit, atque neci dedit? te hac ergo manebit
Pœna, uterum ut tuleris, thalamos experta jugales,
Perpetua ærumna & triſti exercebo labore:
Te ructus, ſpurco ſtomachi qui manat ab antro,
Te refugo rediens curſu revocabilis eſca,

Te

Te vertigo caput nimboso turbine torquens,
Cita dapes diras peregrinaque fercula quærens,
Offendent, cunctis inimicaque nausea mensis.
Ingibus exercebo malis, frangamque subinde
Clade egram: demum quando lustraverit orbem
Luna suum novies, maturo pondere ventris
Cum pandet fœtus paritura limina portæ,
Enixus lentos, uteri intricabile nexum,
Triste puerperium, & duros patiere labores:
Accedentque malis his, connubialia sceptra:
Dulce fuit thalami socio submittere fasces,
Nunc parere viro & dominæ te assuescere habenæ
Triste ministerium: quod tu quia fœmina, puppe
Ansa sedere, virum pravo moderamine clavi
In brevia & Syrtes agere atque illidere saxis,
Quanquam invita feres, mihi sic sententia constat.
Fata Dei hæc firmant æterni robora ferri.
Tandem Adam, terras & cœlum Numine torquens,
Corripit his verbis. Tu qui justissima cœli
Cura modo, exortem tribui cui ducere honorem,
Et thalamum stravi genialem coninge iuncta,
Quæ matura viro solis iubar aurea vicit,

Imme-

Immemor unde recens aboleſcit gratia facti!
Siccine lurco dapes audes temerare negatas?
Imperioque Deum exuere, & molimina ſceptri
Ætherij ſpondere tibi? tantumne ſuperbit
Vile lutum fragilis pulſat cui ſpiritus artus?
Mortales tantoſne animos in pectore verſat?
Uxor: at hac imas afflavit peſte medullas.
Scilicet illius ſic ſtat fiducia dictis,
Et mea iuſſa volant rapidis ludibria ventis.
Ergo quod uxoris monitis reſeraveris aures,
Nube peccato noctemque obieceris atram,
Terra parens frugum, quæ fertilis ubere glebæ,
Sponte ſoluta ſinus gravidis exundat ariſtis,
Pomiferiſque fluit ſylvis dulcique Lyæo,
Lappaſque tribuloſque dabit, rhamnoſque ruboſque,
Et ſcabro topho & ſterili ſqualebit arena,
Frugumque infelix parcè duriſſima victum
Præbebit, nec ſponte ſinus laxabit in uſus
Humanos, multa ſed cura atque arte ſubacta.
Ergo ſimo pingui terram ſaturabis inertem,
Et docili vertes tauro perone revinctus,
Vel rigido ſolves cunctantia dorſa ligone;

Semina

Semina dein riguis ſparges genitalia ſulcis,
Atque occa glebas vel iniquo pondere raſtris
Arte ſupinatas franges; ubi ſurgit in herbam
Flava Ceres, labor aſſiduus verſabit: hinc at
Si ſitis arva, ſatis induces tramite rivos;
Letior exurgat ſi, luxum dente fluentem
Compeſces pecore immiſſo; ſi noxia lædet
Herba, manu velles, ferrove aut ungue ſecabis;
Tandem maturis quando caneſcet ariſtis,
Falce metes, pedibuſq; operoſi grana invenci
Excuties, ſaxo franges & flumine merſa
Igne coques. O quanta manet te cura dolorq;!
O feſſo quoties manabit corpore ſudor!
Dum labor aſſiduo curſu redit actus in orbem!
Et quæ pœnarum eſt, extremaque linea rerum
Pallida mors, tetrico vultu livenſque capillis,
Unguibus atratis, manibuſq; rapacibus horrens,
Omnibus æqua, metet: ferali corpora ferro.
Atque licet cunctis calcanda ſit orbita lethi,
Non ſimplex via mortis erit, non omnibus una
Fata manent: illum violento vortice merget
Gurges aquæ, in nigrũ crepitans hunc flãma favillam

Solvet, & horrisonis animosi flatibus auri
Sternetur non nemo; tuis neque, terra noverca,
Tutus ab insidiis erit: O quot millia mittent
Rupis inaccessa prærupta cacumina letho!
Præstantes animi iuvenes quos cernere bello
Ardor aget, ferri dum stridulus ingruit imber,
Quem cava terrificis imitantia fulmina bombis
Æra dabunt, claudent aeruam in lumina noctem.
Quin ruet in sese civili vulnere corpus,
Et fluvidi capitis tempestas imbre coorto
Pectus inundabit, scabra rubigine dentes
Putrescent, fauces angor constringet hiantes,
Tussis anhela latus quatiet: sal'sugoque manans,
Quæ vitæ accipiunt reddunt que fugacia flabra,
Inficiet lenti viscosa uligine tabi;
Discordes stomacho Cereris succique Lyæi
Concurrent armis, inhonestaque bella movebunt.
Sæpe iecur putres per corpus mittet achores,
Sæpe lien picea capitis fuligine sedes
Infuscans, pavidi cordis vicinia tota
Contremet & vigilans sibi tristia somnia finget:
Glarea quid renum, quid te nodosa podagra

Commem-

Commemmorem? quid vos distenti tormina ventris?
Luctantesque auræ sinuosis flexibus alvi?
Nam totum culpæ illuvies quia corpus inundat,
Pervadent totum panæ, causariaque omnis
Pars erit, & multo traducet tempora luctu.
His graviora etiam lethæo gurgite restant,
Ni dolor exurat concretæ semina labis,
Atque animo toto renovatrix gratia regnet.
Et tu Adam, quanquam pubentis vere iuventæ
Floresçis, niveis conspergent tempora canis
Tristis hiems, frontem tibi ruga senilis arabit,
Fractæque annoso languebunt corpore vires:
Morsque ubi funesto violarit pectora ferro,
Terra sinu accipiet generis primordia terra,
Solvet & in putrem caries inimica favillam.
Hæc ubi dicta dedit, villoso tegmine tectum
Aut ovis aut capræ, vel pelle Lybistidis ursæ
Cominus Adamum Paradisi finibus horti
Exigit: ignivomæ metuendus fulmine ficæ
Fidus inaccesso custos datur Angelus horto.
At de venturo pepigit quæ semine Numen
Exolvit, varijs umbris variisque figuris

Præ-

Præludens primum magni incunabula Nati.
Inde quater denis sæclis volventibus orbem,
Chara Dei soboles mortales induit artus,
Et scelerum maculas lustrali cæde piavit.
Terq; ubi Phœbus equos punto immersisset Ibero
Eoo & toties reparasset in æquore flammas,
Redditus est vitæ, spolijs decoratus opimis
Mortis, & ascendit cœli super aurea templa.
Tandem etiam index fontes lachrymabilis Orci
Addicet tenebris, nos cœli luce beabit.

MISCELLANEA
&
EPIGRAMMATA
SACRA.

ANDREÆ RAMSÆI
Pastoris Ecclesiæ
Edinburgensis.

EDINBVRGI,
Excudebant hæredes Andreæ Hart.
1633.

AD
ILLVSTRISSIMVM,
&
NOBILISSIMVM
VIRVM,
D. CARNEGIVM,
Gentis ſuæ Principem,
Kinnardiæ Dominum,
Supremi ordinis Baronem, & Regi à
penitioribus conſilijs, &c.

CLare atavum illuſtri ſerie. Qui ſtemmatis author
Carnegij gen tique dedit primordia fauſta
Extulit inſignem virtute Favonius aulæ,
Regi olim pateris ut prælibaret & auro.
Iſta notis certis perhibent inſignia gentis,
Clauſaque mille ſeris ferri tabularia ſervant.
Neve ætas vos inferior, ſed cana vetuſtas
Extulit in lucem: patriam qui ex hoſte recepit
Bruſius, & ferro victrici contudit Anglum,
Muneribus gentem & tituli s decoravit aviram;
Ferre

Ferre dedítq; sui monumentum & pignus a nobis
Dædaleæ naturæ apicem *Kinnardia* rura.
Qui bello majorum animi, & mavortia corda,
Quæ data præsidio tutanda, arx *Carnia* monstrat:
Carnia quæ regis ducit de nomine nomen.
Arx munita loco hæc quondam, præcinctaq; fossa
Et saxo, tectis præcelsis æmula cœlo:
Nunc tantum annosi visuntur fragmina muri.
Quæ loca lene fluens vitrea pellucidus unda
Et nitidæ regnator aquæ *Ferderius* amnis
Alluit, errantes sinuans per pascua flexus.
Se quondam hoc fluvio lustravit regia conjux,
Virgineusque chorus fluvioque hoc linrea vela
Perluit, & manibus fertur strinxisse superbis.
Proximus huic *Forsdeus* agēr: vox hostica rura
Innuit: ista tui proavi ditione tenebant,
Quod late hostiles domuissent Marte Phalanges.
Nec tantum enituit virtus *Mernensibus* oris,
Sed caput Æneiæ, vos summo inculmine rerum
Forfarium coluit moderantes regia castra,
Turritasque arces armataque mœnia pinnis.
Adde quod Angusidum princeps *Crafordius* heros,
Cui mentum setis horrens, promissaque barba,
Quanquā æquabat opes regū, sibi sanguine iunctā,
Carnegiam gentem & sociatam fœdere gaudet.
Non incerta loquor: digitis signata tabella
Prodit, & ad seros perstant monumenta nepotes.

Sed

Sed rerum tenor haud unus, summisque negatum
Stare diu. Post tot fulgentia sydera vesper
Exoritur, sortis decoctor Apicius hæres;
Inde tuæ genti tenebris nox incubat atra:
Donec avus fælix sydus caliginis umbram
Dispulit, & generi lucem fulgore reduxit,
Et collapsa sua reparavit Pergama dextra.
Hunc decus aula suum, trabeatum Curia patrem
Vendicat, hunc Gallus florentem spectat honore
Legatum, hunc Anglus repetito munere tanto
Miratur: cujus tenuit pru entia mentes,
Dulce fluens aures mellitæ copia suadæ.
Quid patrem memorem? qui tanta negotia regis
Sustinuit vigili cura: certavit in illo
Integritas dubia & solers industria palma.
At magnus tu major avis, præfulgis honore
Tergemino, sacrę Themidos tibi credita jura,
Consiliisque regis reges, procerumque renides
Purpureo in cœtu, seu noctu Cypria flamma.
Quæ votis factura modum tibi contulit uni
Cœlit uum pater; ingenium velocius Euro,
Iudiciumque grave, & generoso pectus honesto
Incoctum, & cultu Musarum exercita corda.
Quin, licet uber agri numerosę frugis acervis
Fluctuet, atque beet te exundans copia rerum,
Quas vulgus miratur iners; & prolis h. nore,

Et

Et generum splendore mices, numeroq; clientum
Orbe Caledonio te non felicior alter,
Hæc tua laus exors (quamvis sic fulguret ardens
Sol tuus ut flamma liventes urat ocellos)
Excelsus sine fastu animus, rebusque secundis
Scire modum, & lauta quod non mens ebria sorte.
Pectoris ergo aras insterne, & munera grati
Redde animi mentisque preces libamina sacræ
Funde Deo, votique ipsum te judice damna.
Vt cœli terræque sator, qui exordia signat,
Et rerum fines, illustres laude penates
Servet, & incolumes æterna in sæcla perennet.
Interea hæc facilis vultu cape dona sereno,
Otia Pieridum, generosæ pabula mentis,
Quæ tibi dat tradux materno sanguine stirpis
Carnegia; voto Numen qui supplice pulsat,
Sera sed æternum ut decoret te laurea cœlo,
Percelebremque domum venturo sospitet ævo;
Dum Titan luces, & Cynthia temperet umbras.

MISCELLANEORVM & EPIGRAMMATVM *LIBER.*

ORATIONIS *DOMINICÆ* PARAPHRASIS *poetica.*

Sancte parens habitas qui templa micantia cœli,
Altitonansque premis pedibus late omnia subtus,
Nominis aura tui celso volet alite, toto
Axe poli & cunctis crebescat gloria terris.
Impery proferetur per sæcula, regni
Adveniat tandem ut tempus, quo machina mundi
Ardeat, & letho domito gens debita cœlo
Axe triumphali superas conscendat ad arces.

Efficeque ut terris, qua Sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, sancti tua pectore toto,
Cœlitum velut alma cohors, mandata capessant.
Panem etiam nostrum nobis, & commoda vitæ
Cuncta indulge hodie: nam a te pendemus in horas.
Da scelerum veniam, nec pœnas exige noxis
Commeritas; nam nos vindictæ nulla cupido
Urit, & offensas animis everrimus omnes.
Nec nos tentatos, flammatis ingruit hostis
Cum jaculis, animæ duro in discrimine linque;
Auxilioque tuo nudatos objice præda:
Quin, fuso Stygio prædone & nube malorum
Pulsa omni, vultus jucunda luce serena.
Hæc pater exaudis; nam rerum flectis habenas,
Atque tua est nullis inclusa potentia metis,
Et decus omne tuum, quod nullo clauditur ævo.
Sponde ergo hæc menti, mens ut respondeat, Amen.

SYMBOLVM APOSTOLICVM.

IN te immota fides, cui rerum immensa potestas,
Incumbit mundi genitor, qui flammea cali

Mœnia

Mœnia, frugiferæ librataque pondera terræ,
Navigerumque mare & totum molitus es orbem.
In te Nate Dei nostra & fiducia fixa est,
Unice Nate Dei, qui nos moderamine iusto,
Auspicijsque regis, qui triplice munere CHRISTUS
Eripiensque tuos Orco, cœloque redonans:
Inde salutiferum peperisti nomen IESU:
Humanos sine labe omni cui spiritus artus,
Virginei subiens uteri sacraria casta,
Aptavit nexu temerando in sæcula nulla:
Unde parens fit virgo: Deus sine tempore natus
Nascitur, æternus mortali vescitur aura:
Degener Abrami quem stirps, dum frænat habenis
Pilatus Solymas, indigna morte peremit,
Diva decussato distendens brachia trunco.
Hinc compostus humo Stygias descendit ad oras;
Quem lux in terris redivivum tertia vidit:
Unde triumphali subvectus in æthera nube,
Ad dextram Patris sedet, æternumque sedebit,
Terrarum cœlique potens; dum vindice flamma
Dicere ius veniet; sontes ut torqueat ira
Æternâ, sanctos æterna laude coronet.

Inte etiam, Patris Natique O Spiritus, haret
Certa fides, caſtæ fumant tibi pectoris aræ,
Qui mœſtos hilaras, maculatos labe repurgas.
Credo quoque Abramidûm non tantum gente teneri,
Sed quacunque tribu terras habitare per omnes
Selectam ſobolem, divino ſanguine cretam;
Quæ nexu arcano corpus coaleſcit in unum,
Uni ſubiectum capiti, quod ſpiritus unus
Intus agit, totumque fovet; cui cuncta benignus
Condonat genitor commiſſa piacula gratis:
Corporaque è tetris terræ re vocata lacunis
Reſtituet decus in tantum, rutilantia vincant
Ut Phœbum, medio cum fulgidus axe coruſcat;
Quæ iunctis animis, O terque quaterque beata!
Plena Deo æternam degent ſuper æthera vitam.

DECALOGVS.

PRÆCEPTVM 1.

DA vacuas aures Iacobi electa propago:
Sum Deus ecce tuus qui te, cum verna, Canopo
Eduxi, & Phariâ ſervuli compede ſolvi.
Ergo mihi ſacros uni libabis honores.

Ne

2.

Ne Pario ſculpas mendacia numina ſaxo,
Aut Ebore aut auro fingas, referentia cœlum
Aut terram, aut tacitè ſubterlabentia terram
Flumina; nec divos illis adolebis honores.
Nam rivalis ego impatiens, qui vindice pœna
Proſequor infeſtus commiſſa piacula patrum
In natos natorum & qui naſcuntur ab illis;
Obvertunt odio quotquot mihi numina ficta.
At quicunque mihi ſacro devinctus amore
Intemerata mea qui ſervat fœdera legis,
Noſtra illum nullo clementia deſeret ævo,
Deſeret aut ſeros in ſæcula mille nepotes.

3.

Ora Dei quoties in nomina ſacra recludis,
Sollicitus temerare cave. Non crimine ſolvet
Ætherius Pater; at pœnis inceſſet amaris
Quicunque inceſto nomen ſceleraverit ore.

4

Mente tene, ut ſacris operando, Sabbatha ſacra
Obſerves: ſenis terram verſare diebus,
Et lini ſegetem, vel pexam ducere lanam

Pas erit, atque famem duro ſuperare labore.
At, lux extulerit ſacros ubi ſeptima vultus,
Otia ſacra coles, & tecum qui lare degit,
Quà natus, quà nata, & promptus herilia iuſſa
Quicunque exequitur, calathis quæcunque recondit
Penſa coli, teretem convolvens turbine fuſum;
Atque onerum pecudes quarum patientia terga;
Et quicunque tuis ſuccedet mœnibus hoſpes.
Namque parens rerum cœli rutilantia caſtra,
Omniparumq; ſolum, & circumſona flumina Ponti,
Et quodcunque ſinu clandit revolubilis orbis,
Lucibus abſolvit ſenis: dedit otia Iova
Septima, quæ nullo quoniam tranſacta labore,
Cunctarum vacuam ſacros addixit in uſus.

5.

Sanguinis auctores, & quorum e ſtirpe creatus,
Et patrio quemcunque loco, te ſive ſit annis,
Maiorve imperio, merito dignabere cultu:
Ut tibi ſorte datâ divino munere terrâ
Ad tremulam vitæ producas fila ſenectam.

Sanguineo

Sanguineo exacuat nec præceps ira flagello,
Vt vindicta animum vel dextram cædat cruentet.
Nec viola casti genialia fœdera lecti.
Neve aliena dolo contrectans sublege furtim,
Innocuum testis nec falsis obrue noxis.
Nec socijs tædis alij iustisque Hymenæis
Iunctam ambi: alterius nec te famulamve laremve
Aut pecudem (rudit illa gerens seu dorsa repanda,
Cornigera aut raucis mugitibus æra complet)
Et tua quæ non sunt ardor proritet habendi.

Has tu qui digito scripsisti marmore leges,
Exue sancte parens duro mihi marmore pectus,
Et cordis tabulis, impulsu flaminis almi,
Iussa inscribe tua hæc; tandem cum spiritus artus
Destituet gelidos, cœli super ardua fiste.

CANTICVM
SIMEONIS.

Ela age, qui vitæ metas & tempora signas,
Exue nunc famulum vinclis & carcere carnis;
Dum mens ætheriæ pacis perfusa sereno
Gestit, & exultant dulci præcordia motu.
Rumpe moras; spirant iamiam mihi pectora cœlum.
Quippe salutiferum mortali corpore numen

Indutum

Indutum his hauſire oculis mihi munere diuo
Conceſſum eſt, pepigit vox ut mihi reddita cœlo.
Hic eſt ille, tuo populo qui iura miniſtrans,
Ante feret greſſus, ſub leges mittet & orbem,
Qua Sol mane levat, qua condit nocte ingales:
Lethiferâque Orci gentes caligine merſas
Lucifer atherea luſtrabit lampade flamma:
Abramidaſq; ſuos, genus unde & ſtirpis origo,
Efferet ut feriant ſublimi vertice cœlum.

ORATIO AD CHRISTVM.

NAte aquæve Patri magno, de matre creatus
Virginea, qui cuncta creas, reparaſq; caducam
Humanam ſobolem, mundi melioris origo,
Lux ſine nocte nitens, labem ſine labe repurgans,
Nexq; necis, vita vita, & ſpes unica cœli,
Cuncta unus cunctis, devotum hoc accipe pectus.
In te abeo, tibi me dedo, tibi vivere dulce,
Dulce mori. Mihi te nec mors, nec vita, poteſtas
Infera vel ſupera eripiet; nec morte piaſti

Victima

Victima, me orcinum, deſcendens victor ad Orcum
Reſtituiſti ultro; me impurum ſanguine puro
Luſtraſti: mea, me & totum tibi debeo: nec ſi
Pro te mille neces & mille pericula adirem,
Et miſer ad manes Erebi noctemque profundam
Truderer, aquarem minima vel parte labores.
Ergo, ſanguineo tibi quem ſudore paraſti,
Et tanto tibi ſtat pretio, dulciſſime Ieſu,
Præſidio munì, teneriſque amplexibus ambi;
Illum tartareo ne in prædam expone tyranno:
Luceat æterni inbaris fax aurea mente;
Spemque fidemque novis facilis proventibus auge:
Frana voluntatis inſtum moderetur & æquum:
Prava nec irrepant generoſi in pectoris aulam:
Atqui amor incendat præcordia Numinis ardens;
Et timor ingenuus vitiorum comprimat herbam:
Simplicitaſque invet nullis interlita fucis.
Clauſtra oris cohibe, lingua rege plectra ſoluta,
Larga laboranti ſuccurrat dextera egeno.
Fac tua ſcita ſequar, veſtigia tramite legis
Dirige, qua vires animi qua corporis artus
Arma ſub auſpicijs iuris ſocialia iungant;

Vt confecta sacro post tot stipendia bello,
Æterna potiar cœli statione coronâ.

EPIGRMMATA SACRA.

Extra unum Deum omnia nihili ducenda.

CVm Deus ex nihilo telluris & etheris arces
Finxerit, & reflui vitrea regna salis:
Quid sectando nihil satagor? quid turbine tanto
Torqueor? & curis distrahor usque novis?
Incubo quid fluxis cruciorque cupidine habendi?
Quid fallax pectus sollicitudo coquit?
Extra unum si cuncta nihil qui cuncta creavit,
Si cuncta acciderit perdere perdo nihil.
At, cunctis qui cuncta, Deo quicunque fruetur,
Ter felix cunctis affluet ille bonis,

DE

DE INVICTA DEI POTENTIA in ſuos ſtatuminando.

Quiſit ut hæc terra moles, ſine pondere pondus,
Inſtabili ſtabilis ſtet glomerata loco?
Tanta molis opus geſtare trementibus ulnis
Et liquidis humeris qui potis aura levis?
Ni patris atherei firmaret robore pollens,
Quæ mundi immenſum, dextra tuetur onus,
Diſce, licet fragilis mage ſis vel arundine lenta,
Quæ lenis Zephyri flamine pulſa tremit,
Hæc invicta modo te dextra ſtatuminet agrum,
Ætna adverſa gravi vel graviora feres.

IN PIETATIS CURSU INDIES promovendum.

Cur genitor terram primo eſt molitus inertem?
Atque hominem tandem nobile finxit opus?
Vile quid auſpicium, pretioſaque clauſula rerum?
Ordine nos opifex hoc docet ipſe ſuo;
Ut bona lux præſens præſtet, meliora futura,
Provehat & in melius craſtina quaque dies.

QUANTA

Quanta Dei erga hominem Providentia.

ANte hominem cretum de pulvere, cura parentis
Provida frugiferos meſſe coronat agros.
Si nondum natum præceps induſtria, præcox
Antevenit ſtudium, culta laremque parans:
Num magis in natos & Nati cæde renatos
Incumbet vigilis provida cura patris?

Nulli deſpondendus animus ob vilem ſuam conditionem.

NOn hominem ex auro Deus aut radiante ſmaragdo
Finxit, at ex fœda face rubentis humi.
Vile vetrimentum terra caput inſerit aſtris,
Progenies cœli rexque Deuſque ſoli.
Ergo licet populi ſis fax, maculiſque probriſque
Obrutus, & ſtygijs pene ſepultus aquis;
Ille poteſt qui terrâ hominem formavit, Averni
Te vernam atherijs conſociare choris.

Pictas

Pietas omne fert punctum.

NOn homo, ſi celeres curſu praverteret Eurus,
Et matutinas vinceret ore faces,
Si modus eſt agri quem centum vertat aratris,
Plenaque congeſtas arca flagellat opes,
Iſta levant minimùm furiati pectoris æſtus,
Aut curas abigant, aut Acheronta fugant.
Una levat curas pietas, modo cætera deſint,
Una beat pietas & ſuper aſtra vehit.
Ergo alij in votis ſint res, ſit forma, decuſve,
Sit pietas voti meta moduſque tui.

Deum implorantibus non defuturum.

DUm reus errat homo furiati pectoris æſtro
Percitus, arvum amens ut genitale tegat;
Dum maculas fruſtra folioſo tegmine velat,
Concinnat trepida dum perizoma manu;
Dum furias & fata timet, Deus ecce ſalutem
Nunciat, & ſolvit triſtia corda metu.
Audit inoratus quando Deus, occupat hoſtis
Si dare ſuppetias, ſi veniamque reo;

Audiet

Epigrammata.

Audiet oratus magis, & qui subvenit hosti
Tempore, temporius subvenit ille suis.

DISPENDIA GENERIS HUMANI quæ in Adamo; in Christo cum lucro reparata.

Quod sibi commissam vili dape lurco salutem
Prodiderat totum perdideratque genus;
Non temeranda salus Christo vel marte vel arte,
Arce ut inaccessa sartaque tecta manet.
Quæ prius arbitrij ruido tibicine fulta,
Firma stat invicto non recidiva Deo.
Pensat damna suis lucro Deus, anxia latis
Mutat, & æternis commoda fluxa bonis.

SUORUM FAMÆ ET NOMINIS existimationi Deum consulere.

Fæmina, causa necis, Nazo fit causa salutis:
Scilicet hac ratio est commoda visa Deo;
Mulceat ut miseros sontes solaminis aura,
Elvat ut fœdas dedecorisque notas.
Ergo, licet scelerum macularis labe pudenda,
Si sceleris pudeat, pœniteatque mali;

Dedecus

Dedecus everret Deus, ut laus labe resurgat,
Crevit ubi opprobrij, sylva viresset honos.

OMNIPOTENTIÆ ET BENEVOLENTIÆ Dei fulcris fidem inniti.

SI Deus est nostri cupiens, cui immensa potestas,
Quamque boni cupiens tamque potensq; boni:
Si quæ vult præstat; vult, præstat, commoda tantum,
Firma stet hac gemina rupe pedata fides.

BEATUS QUISQUIS IN DEUM fide recumbit.

NItitur adversum dorso cervix palma repando,
Altius assurgens quo magis urget onus:
Haud secus in Dominum, curarum pondere pressus,
Quo magis incumbes hoc graviora feres.
Ille animos recreat residet & suppilat agros,
Et vultus Zephyro marcida cerda novat;
Felix! hoc stabili quisquis tibicine fultus:
Instabilem sortis non timet ille vicem.

DEUS

Deus ſuos novis virtutis incrementis mactat.

PElias haſta nocens olim qua vulnera fecit,
Suſtulit hæc eadem Pelias haſta iuvans.
Pelias haſta Deus ſanctis, qua vulnera fecit
Solus Achillæo tollere more poteſt.
Nec tollit modo, ſed, geminato robore mactans,
Soſpitat. O pluſquam Pelias haſta Deus!

Fallax fallacia ſua alijs exitio ſed ſibi magis.

CLava velut, capulo ſtimulus quem munit acutus,
Cuſpide fidentem lædit acuta manum:
Sic fruſtrator homo, ſtimulo mage noxius omni,
Cui mage quo fidis figeris uſque magis:
Pondere preſſa manus ſed brachia clava recurvans
Corruit, & nunquam convalitura perit:
Sic faber ipſe doli, ludens ambage recurva,
Corruit, allidens ſe miſer arte ſua
Corruit atque Deo perſolvit vindice pœnas,
Et ſibi dat pœnas dum cadit arte ſua.

Doloſi

DOLOSI SORS INFELIX.

Quid nisi fraus falsum crustatum tegmine veri?
Virginis exuvijs tecta pudenda lupa?
Fraus, quia ficta, operit fuco, larvatáq; lucem
Exodit, virus nocte silente tegens:
Res docet, authori fraudis divina parâsse
Fata domos ditis, lucis egena loca.

In eundem.

Felix fraudis amans, si tartara fraude cavere
Posset, & atherias scandere fraude domos:
At cœlo excludit quia fraus, quia trudit ad ima
Tartara, bis miser hoc nomine fraudis amans:
Ter miser hoc etiam, quod vindice Numine fraudis,
Fraudis amans fraudi sit sibi fraude sua.

VERA FIDES OBEDIentia probatur.

Paruit Abramus, patris concedere tectis
Et patrij iussus linquere culta soli:

Paruit & quando laribus cum prole parentem
Exuit, exturbans in loca fœta feriss
Paruit & gnatum iussus mactare, paratus
Cæde pater nati commaculare manus.
Nempe fides prompto obsequio, qua vera probatur;
Quæ cassa obsequio, quid nisi cassa fides?

NVLLIS HOMINVM meritis, sed Dei gratiæ salus humani generis accepta est ferenda.

HOrrent Iacobus villosa tegmine capra,
A patre fatidico fata secunda refert;
Quæ pater haud voluit, meruu nec subdolus error:
Sic sortem instituit diribuitque Deus.
Ergo hominum meritis non est accepta ferenda
Nostra salus; soli sed tribuenda Deo.

SINE

SINE DEO NULLA ANIMÆ quies aut serenitas.

ERrat ut orba ratis pugnantibus acta procellis,
Quam bacchans Borea, quam levis Eurus agit:
Sic mens orba Deo, iactata cupidinis æstu,
Ludibrium stygys naufraga fertur aquis.
Christe laborantis clavum, Palinure, carinæ
Accipe, cui supplex lamberat unda pedes.
Nec neque spumosas scopulosi gurgitis iras,
Nec moror insani murmur inane noti.
Ventorum furor est, & te penes æquoris æstus:
Te, metuo fragili nil, moderante, rati.

CHRISTVS AQVA salutaris.

QVæ fuit illa scatens solidi de vulnere saxi
Unda, gravem potuit quæ relevare sitim?
Hanc non ille latex lateris de fonte perennis
Christe tui, quo tu marcida corda rigas?

Sic te dilectum globulum conferta procantum,
Tacta cupidineo turbine, turba rotat.
Vis secura frui requie? corpusque animumque
Desponde ætherio casta puella Deo.
Sic tu Tarpeiâ stabis fundatior arce,
Nec sortis metues versa reversa vices.

AMORIS COECI ET RATIONIS luce præditi collatio.

AD AMICUM CUIUS VISENDI desiderio flagrantissimo tenebatur.

AN furor, an calor est, colimus quod, numen amoris
An premis imperio parve Cupido tuo?
Et furor, & calor est, colimus quod numen amoris:
Nec premis imperio parve Cupido tuo.
Quos premis imperio, lucem eripis, instruis alis,
Ut cæco volitent impete, corde vagi.
Noster amor stabilis, nullâ revolubilis aurâ;
Et, si quando furit, cum ratione furit.
O si noster amor cæco coniunctus amori
Esset, ut alterna subveniatur ope!

Noster

Noſter amor cæco lumen rationis amori
Conferat, ut flammas cum ratione regat.
Cæcus amor noſtrum pernicibus inſtruat alis,
Te fruar ut, quoties ſævius urit amor.

INFELICES ÆTERNA perituris commutantes.

LYſimachum, dum bella Scythis movet, urit anhelũ
Dura ſitis: gelidis utque levaret aquis,
Seque ſuoſque hoſti permittit: ſed miſer undam
Hauſit ubi, his ſolvit flebilis ora ſonis.
O me infelicem! quid rem, regnumq́, decuſq́,
Prodegi! heu, tanti ſtat brevis hauſtus aquæ!
Arguit hoc, inopes nos mentis, gaudia cœli
Mutantes fluxis non peritura bonis.

QUAM FRAGILIS HUMANÆ vitæ conditio.

QVi quondam imperio tenuit Babylona ſuperbo,
Viſa eſt effigies, dum ſopor altus habet:
Cui caput auguſtum fulvo radiaverat auro,
At pars in luteos deſyit ima pedes.

An non flumen agit cœlo quod Flamen abalto,
Et Phlegethontaos qua levat unda rogos:
Quam quicunque bibit, cœlesti macerat imbre
Quos sitis arentes mentis hiulcat agros:
Quam quicunque bibit, saxo mage saxeus esset,
Mollis ut, in liquidas protinus ibit aquas.

NVLLA CORDIS durities Christi gratia inexpugnabilis.

VT Moses silicis dum solvit arundine venas,
Saxea vis liquidis saucia fluxit aquis:
Sic quamvis Adamas, quamvis Marpesia cautes,
Plus rigeas quamvis quam riget ulla silex:
Dummodo tu ferias cœlestis arundine verbi
Christe, salutifero flumine corda fluent.

ABELIS ÆNIGMA.

HIc qui aviã imminuit situs est, satus ante parentes
Et quo pars hominum quarta cadente cadit.

IN

IN BLASPHEMVM *AIACIS* faſtum.

Alacem Telamon ſic Pergama fatur euntem,
Fortem age & auſpicibus bella moveto deis.
Contra Aiax; dijs ignavis & virium egenis
Eſt opus; hi ſocijs arma movento deis:
Aſt ego qui Telamone ſatus, neque degener hæres,
Nil moror infeſtis arma movere deis.
Poſt luit hunc faſtum; victore reſidit Vlyſſe
Infra hominem, voluit qui ſupertre Deum.

AD GLOBI DOMINAM ut in Deum fiducia recumbat.

NOn quicunque globi dominam te dixit, inepte:
Membra quod in teretẽ ſunt glomerata globum
Et velut æthereos globulos vertigo perennis
Torquet, & aſſuetas urget obire vias.

Sic te dilectum globulum conferta procantum,
Tacta cupidineo turbine, turba rotat.
Vis secura frui requie? corpusque animumque
Desponde ætherio casta puella Deo.
Sic tu Tarpeiâ stabis fundatior arce,
Nec sortis metues versa reversa vices.

AMORIS COECI ET RATIONIS luce præditi collatio.

AD

AMICUM CUIUS VISENDI desiderio flagrantissimo tenebatur.

AN furor, an calor est, colimus quod, numen amoris
An premis imperio parve Cupido tuo?
Et furor, & calor est, colimus quod numen amoris:
Nec premis imperio parve Cupido tuo.
Quos premis imperio, lucem eripis, instruis alis,
Ut cæco volitent impete, corde vagi.
Noster amor stabilis, nullâ revolubilis aurâ;
Et, si quando furit, cum ratione furit.
O si noster amor cæco coniunctus amori
Esset, ut alterna subveniatur ope!

Noster

Noſter amor cœco lumen rationis amori
Conferat, ut flammas cum ratione regat.
Cœcus amor noſtrum pernicibus inſtruat alis,
Te fruar ut, quoties ſævius urit amor.

INFELICES ÆTERNA perituris commutantes.

LYſimachum, dum bella Scythis movet, urit anhelũ
Dura ſitis: gelidis utque levaret aquis,
Seque ſuoſque hoſti permittit: ſed miſer undam
Hauſit ubi, his ſolvit flebilis ora ſonis.
O me infelicem! qui rem, regnumq́, decuſq́,
Prodegi! heu, tanti ſtat brevis hauſtus aquæ!
Arguit hoc, inopes nos mentis, gaudia cœli
Mutantes fluxis non peritura bonis.

QUAM FRAGILIS HUMANÆ vitæ conditio.

QVi quondam imperio tenuit Babylona ſuperbo,
Viſa eſt effigies, dum ſopor altus habet:
Cui caput auguſtum fulvo radiaverat auro,
At pars in luteos deſyt ima pedes.

Quo vita humana fragilis spectatur imago,
Et nunquam stabili sors malefida rota:
Nam qui auro rutilat, Serrano fulget & ostro,
In putridum solvet funeris hora lutum.

QVAM BREVIS ET ærumnosa vita humana.

NAscimur heu sontes; & morti addicimur horâ
Natali; superest quæ mora cunque reo
Temporis exiguum est spacium dum carceris umbrâ
Eductus nocuo sanguine tingat humum:
Ergo credo diem tibi diluxisse supremum,
Et vive ut vitæ hac hora suprema foret.

OMNIS HOMO sponte miser & sui infortunij faber.

DUm furit ignitis iaculis Acherontius hostis,
Assensum cohibes si modo tutus eris.

Ad

Ad mala sollicitat non cogit præses Averni:
Læditur assensu non nisi quisque suo.
Quid te ergo miserum quereris? quid sydera læva
Incusans tristis fletibus ora rigas.
Iure Deo pœnas persolvis vindice; iure
Es miser, assensu quod miser ipse tuo.

HVMILIS FORTVNA magis quam excelsa expetenda.

DVcitur erranti qui sensu, indice montis
Æmula syderibus dum iuga celsa videt;
Si modo clivosi statuatur culmine montis,
Contingi digito sydera posse putat;
Ardua ubi superat præruptaq;, indice sensu
Vicinus, distat millia mille polus:
Sic humili quicunque loco dum spectat in altum
Quos honor aut grandis tollit acervus opum;
Hos superis putat esse pares, hos æquat Olympo;
Horum optat cupide conditione frui.
At voti compos, animo minus ille serevo est,
Quam fuit exiles cum tenuere casæ.

In promptu ratio est, quia mens æterna, caduca
Respuit, & gaudet, quæ sine fine, bonis.

DEUS SUOS CRUCIBUS exercet; non ut perdat, sed ut servet

PRospiciens pastor stabulis errare licenter
Ardua lanigeros per salebrosa greges;
Horrendum rauco clamore immittit Hylacta;
Non ovis ut trepidæ cæde cruentet humum:
Sed damno ut revocet, retrahatque a morte propinqua,
Ne præceps ruat, aut præda sit illa feris.
Sic Deus adversæ revocat nos quando reflatu
Sortis, in exitium ne ferus error agat;
Perdere non statuit; rebus sufflaminat arctis,
Ne celeri in præceps nos scelus axe ferat.

DEUS VULNERAT ut sanet.

DIscipulus scalpro, Hippocratis, venã haurit acuto
Et levat urenti torrida membra febri:
Dat gratus Sostrum sanatus, febris anhela
Corpore pennato cedit ut acta gradu.

Sic

Sic mens tartarea ſuccenſa cupidinis æſtu
Dum flagrat, & faſtu pectora fœta tument;
Si crucibus Deus exercet, denſoque malorum
Agmine; tu grates officioſus age.
Non ferit enſe truci, medici ſed cuſpide ferri
Vulnerat, ut ſanet dextra verenda Dei.

SUBLIMIS SORS CRUCIAT magis quam delectat.

AVrea quæ quondam Solymis faſtigia templi,
Horrebant ſtimulis vulniſicoque vero.
Quæ nos ambimus rerum faſtigia terris,
Quanquam auro & Tyrio murice clara micent;
Horrent curarum ſtimulis, & nube malorum
Corda premunt, vario diſcruciantque metu.
Vis ſine lite dies, ſine curis ducere noctes?
Atque animo placido compoſitoque frui?
Regum linque aulas, & ſellas linque curules:
Ut liber curis, otia tuius agas.

INNO-

INNOCVI FAMA maledicorum calumnijs clarescit.

Dum salis unda tumens spumoso vertice cautem
Verberat, assultu frangitur ipsa suo:
Elsitur cautes, non laditur aquoris unda,
Clarius & multo quam fuit ante nitet.
Haud secus innocuum rabiosa verbere linguæ
Incursans falsis dilaceransque probris,
Officit ipse sibi: convicia pulsa residunt,
Clarius innocui fama decusque nitet.

ANGUSTA EST VIA QUÆ ad salutem ducit.

Est angusta via Æterias quæ ducit ad arces,
Quæ fert ad Stygias est via lata domus.
Vis Erebi vitare lacus, angusta terenda
Est via, nam latum nil capit arcta viæ.
Contrahe quæ turgent ventoso pectora fastu,
Deme onus & scelerum quod tibi terga premit.

Et

Et via te capiet quæ cœli ducit ad ædes,
Nec feret ad Stygias te via lata domos.

AUDITORIS VERBI DIVINI animus purus & à vitijs purgatus esse Debet.

FAx fœdo oblimata fumo non pabula flammæ
Corripit, aut ulla traduce luce nitet:
Nec capit æthereas flammas mens labe pudenda
Oblita, dum præsul mystica sacra tonat.
Mentem ergo purga scelus exurente dolore,
Vt sacri eloquij lucida luce micet.

CRUX ET PATERNÆ DEI ferulæ suis in emolumentum cedunt.

CRux oneri est sanctis, præpes velut ala volucri,
Aut ratibus mali Carbasciique sinus.
His maris undosi sulcat vada cærula navis,
Atque illa cœli cærula sulcat avis.
Provehimur crucibus, velis velut æquore puppis,
Tollit ad æthereos crux animum q; lares.

BONO-

BONORUM ET MALORUM mores similitudine rosæ & vepris expressi.

ADnascens vepris vicinam vulnere multo
Configit spinis dilacerat que rosam.
At veprem infestum foliy vernantis honore
Ornat, odorifero & proluit imbre rosa.
Æmulus esto rosæ: si quis tibi damna crearit,
Prosequere officijs immeritisque bonis.
Cum vepris ardebit flammis crepitantibus Orci;
Florebis cœlo non peritura rosa.

PECCANDI CONSUETUDINE peccati sensus amittitur.

QVi ferrum exercet candens, sic callet ab igne,
Illæsa ut tractet flammea quaque manus.
Conscia vis mentis vitijs exercita, callo
Sic hebet, ut nullum sentiat illa nefas.
Tu ne adsuesce malis: mens, qua nunc dedolet usu,
Æternum stygijs illa dolebit aquis.

REPUG-

REPUGNANTES SATANAS fugit; fugientes insequitur.

Est animal Myrmecoleon: qua voce notatur
Formica exilis, magnanimusque Leo.
Est Satanas Formica, Leo. Si quando repugnas,
Formica est; dederis si modo terga, Leo est.

DIABOLUS, QUIA PECCATI mancipium, Christum in perniciem suam lacessit.

Quid Christum aggrederis bello, regnator Averni
Stringis in invictum quid tua tela Deum?
Annon iste, caput tibi qui, furialis Echidna,
Conteret? & pedibus teque Erebumque premet?
Inscius arma moves fors? insciis arma movere
Non potis es, produnt tot quia signa Deum.
Edita vox cœlo Patris, atque oracula vatum,
Eoo insolitum sydus ab axe micans.
Quin etiam vana cum laudis inebriat aura,
Æternum accersis quid tibi clade probrum?

Verna

Verna quia es noxæ, quæ tantum noxia mandat,
Exequeris damno noxia quæque tuo.

FORTUNA VITREA EST, cum splendet frangitur.

VItrea fortuna est res: quo magè vitrea splendet
Hoc fragilis magis est, & magis opta teri:
Cum splendet fortuna timè: conversio præceps
Instat, & alternat tum malefida vices.

NON LONGAM, SED MULTAM vitam expetendam.

Frustra Nestoreos annos tardamque senectam
Expetis, ut fati sera sit hora tui:
Elige non longam, sed multam vivere vitam,
Hæc numerat palmas temporis illa moras.

AMORIS CONIUGALIS EXEMplar, Annia.

ORba viro renuit tædas iterare iugales
Annia, quod pravo si sociata viro,

Crux foret, &, si iuncta probo, tunc illius illi
Formido mortis mors miseranda foret.
Vive ergo aut cœlebs, aut vinclo innexa ingali
Vnius, ut castos experiare thoros.

ESSE DEUM SUIS PRÆSENTI orem in adversis quam secundis.

Pergit inoffenso pede cum per plana viarum
Pusiolus, solus fertque refertque gradus.
Cernit at ut genitor per hiulca per aspera gressus
Ducere, complexu corripit ille suo.
Sic pater atherius, sortis nos quando secundæ
Aura vehit, solos ire redire sinit:
At quando adverso iactamur turbine, dextrâ
Sublevat, & fruimur tum propiore Deo.

REGNAT DEI GRATIA IN renatis, omnē vitium sub se premens.

Pingue oleum veluti fundo non sidit in imo,
Summa petens cunctis sed super exstat aquis?
Sic te sive auri, Veneris ve insana cupido,
Seu fama teneat non saturata fames:

Gratia si modo sit vitium premit altior omne,
Et penna ad superos tollet ovante lares.

RARÆ CASTITATIS exemplar Bilia.

VIr Bilia, cum quondam oris graveolentia probro
Obiecta est, rediit flebilis ille domum:
Et querulus casta tacitè cum coniuge iurgat,
Turpe oris vitium quod latuisset eum.
Illa cui: fraus nulla mea hæc: nam ignara virorum,
Credebam cunctos sic oluisse viros.

EXOTERICORUM EPIGRAMmatum ex naufragio tabulæ residuæ. AD CLARISSIMUM ARTHURUM IONSTONUM, Medicinæ doctorem, & poetam insignem.

LÆtor lutosis ingeni atvis erutas
Æruginosas laminas,
Coxit favilla quas tepente & languida
Thalia nostri pectoris,
Examen ære ferre tanti iudicis,
Litmam severam carminis.

Ionstone

Ionstone Phœbe lucis ignes exere,
Purga, repurga facibus.
Nam ex officina prodeant modo tua,
Tua notata imagine,
Patant sororum vel sacrarum ararium
Ut usui sint posteris.

IN ANAGRAMMA ROBERTI SICILII vicecomitis Cramburgi, ab amico exhibiti, quod erat *BIS VICTOR LVCE RELVCENS.*

Qua fax, quæ flamma est, bis victrix luce relucens?
Aut qua flamma nitens perpete luce nitet.
Vesperus an, noctu qui victor luce relucet,
Lucifer in roseis mane revectus equis.
Vesper erat, Triviaque regit ceu virginis ignes,
Sic modo virgineas rexerat iste faces.
Quæ postquam extinctæ; Phœbi comes additus igni
Lucifer, Eois pulchrior exit aquis.
Atque ita Sicilius *bis victor luce relucet:*
Pulchrior his quoniam perpete luce nitet.

LEGATARIUS MANIÆ HAMILTONIÆ, Posthumus, sibi gratulatur.

Millia quinque æris mihi legat Mania cœlebs,
Et fugit ad manes Mania mœsta suos.
Mania, noctem habitas: sed lux quæ manat ab ære,
Nox facit ut tua sit, Mania, mane mihi.

AD ALEXANDRVM WEDDERBVRNVM urbis Tyduni actuarium; missis ad eum infumatis piscibus.

Iura urbis figis qui iure, & iure refigis,
Unica Tyduni luxque manusque fori;
Cœruleis promit loculis quæ Bervia Doris
Squamigeri generis vilia dona, cape.
Quæ fumata rigent velut, & fuligine sordent,
Vilis ita ingenij sordet & aret ager.
Utraq; sed nudum replicata lacinia pectus
Pandit & exerto viscere tota patet:
Quo dominum referunt, qui mentis simplice cultu
Te piat, amplexus pronus inire tuos.

DEMOS-

Epigrammata.

DEMOSTHENIS SOLUTÆ orationis & adstrictæ numeris

Domini Guilielmi Alexandri,
Vicecomitis Sterlini,
Regni Scotiæ Secretarii,
dispar contentio.

Accipe cur impar tibi sit, licet intonet ore,
Cecropides, rapido tela trisulca vibrans.
Illum Hippocrenes Cyllenius imbuit unda:
Fulmen agit stygijs lingua recocta focis.
Labra Theocrenes tua sunt medicata liquore,
Et fluit Ambrosijs Thespia lingua favis.
Ille cruenta tonans, studio dum flagrat Olynthi,
Torruerat patrios fulmine pene lares.
At tu sacra tonans, dum te rapit ardor Olympi,
Tartareis prohibes agmina sacra rogis.
Egerat Æmathium, pubem Tritonis, in hostem:
Horruerat Macedûm Martia verba phalanx.
Tuque cies Atheum, divina pubis, in hostem,
Agmen, & excidium Roma timenda timet.
Denique ei exitio verbosa potentia linguæ
Cessit, & ad stygias præcipitavit aquas:
At Suada fax dia tua, fata flamine sancto,
Ducit ad ætherias pravia luce domos.

AD AMICUM NON DE VULGO: Calendis Ianuariis.

IAm iuvenile decus renovans revolubilis anni
Cynthius, egelidas vibrat ab ore faces.
Sic quoque folle pio repetito flamine flammas
Iam renovans noſter ſævius urit amor.
Ac velut ille, gradum relegens, ſpatioſius ignes
Exigit, & vegetos acrius urget equos:
Sic ſubvecta rotis animi fax enthea flammas
Proferat, & toto pectore regnet amor.
Et veluti flammis populatus vinguida brumæ
Regna, renaſcenti flore coronat humum:
Sic vernantis honos noſtri iuveneſcat amoris,
Nec ſenij canis marceat ille comis.
Nec, velut fratrem vitiat ferrugine luna,
Inficiat noſtras dira Megæra faces.
Sed qua fida tenet mentis penetralia vivus,
Dum ſpiro vivens hic quoque ſpiret amor.

AD

AD THEOLOGIÆ ET MEDICINÆ iuxta conſultum, Calen. Ian.

VNde petam tibi quæ promam? non vincta catenis
Lemniacis Lydas arca coercet opes.
Pluto præſes opum; Pluto quoque præſes Averni:
Nec Styx, nec Phlegethon, nec mihi Pluto placet.
Et retegit Pæan tibi rerum arcana revelans;
Quicquid habet laxo dædala terra ſinu.
Expeterem cœli quæ celant cærula templa:
At ſacra cœligeno pectora rore mades.
Vnum hoc quod nullis egeas, ſoletur egentem,
Nil dare cum valeat nil tibi deeſſe videt.

IN CATAMITUM PARRICIDIUM molientem.

DIcace quid averſa moliris Cypride, Martis
Auſpicijs? Marti cum ſit amica Venus.

IN OBITUM IOANNÆ METELLANÆ Nobiliſſimi Comitis Lauderij filiæ: quæ moni laude cumulatiſſima cœlebs fato conceſſit.

HAc voti menſura hominum componitur urna:
Et deſiderij meta ſuprema iacet.

Si generis series placet, hac milleſima claros
Cenſebat, longo ſanguine, gentis avos.
Si decor & nivei delectat gratia vultus,
Æmula certabant Cypridos ora Deæ.
Si dos ampla iuvat, ſuperabant munera matri,
Et patri Attalicæ quas numeraret opes.
Dulcius argutas pulſavit Apolline chordas,
Doctius & Phrygia Pallade pinxit acu.
Dextera non aliter ſignabat arundine voces,
Quam qua chalcographis charta notata typis.
Virtute æquales ſuperavit, Cynthia quantum
Exiguas, pleno cum micat orbe, faces.
Vnde, licet matura viro, quia lege marita
Nullus erat tantos dignus inire thoros,
Connubio Deus ipſe ſibi ſociavit in ævum;
Et fruitur ſponſo iam ſuper aſtra Deo.

IOANNA MATREM MOERENtem ſolatur.

DEſine chara parens mordaci pectora luctu,
Et gemitu manes ſollicitare meos.
Immatura tibi videor cecidiſſe iuventa;
Alba velut primo flore liguſtra cadunt.

At, cita mors patrio citius quia reddit Olympo,
Mitte queri vitæ de brevitate meæ.
Exilium breve vita brevis: cui longior ætas,
Longius exilij tædia lenta tulit.

In Clariſſimum proavum, Dominum *Iohannem Ramſæum* Equitem Torquatum, cuſtodiæ corporis Regij præfectum, qui pro Rege & regno fortiter pugnans occubuit.

Mente animi illuſtris virtute, & ſanguine clare,
Qui magni Regis lux oculuſque tui.
Ille, ſacris ulnis amplexans, munit ab hoſte,
Intentat mortem dum tibi ſica minax.
Queis tu pro meritis, per dura, per aſpera, Regi
Vſque hæres, una cærula nave ſecans.
Quin tibi poſt Regis ſuperanti fata cruenta
Flacceſcit virtus non tua fracta malis.
Quæ patri ſpectata fides, ea cognita nato;
Teſtes funeſtæ vos Fluidonis *aquæ.*
Fulmen ubi belli claram per vulnera mortem
Oppetis, hoſtili non ſine ſtrage cadens.
Magnus honos magno ſervari a principe: vitam
Reddere tutando principe maior honos.

IN HONORATI ET CLARISSIMI patris obitum, Davidis Ramsæi Balmanæi.

Hic morum exemplar, generosi & cultor honesti,
Vitaque innocuæ palma, decusque iacet.
In tenues largus, frugi in se, fidus in omnes,
Prima cui Deus, & cura suprema fuit:
Mensa patens cunctis: cunctis domus hospita egenis:
Ara lares miseris: tectaque templa probis:
Coniugy cultor rigidus; flos, flexus & ævi
Unius viguit consenuitque thoro.
Moribus his, cœlo maturum vota coloni,
Atque inopum terris detinuere preces.
Fata tamen superant, lustris denisque peractis
Atque octo, cœlum nobilis umbra subit.
Ter felix ergo; quod mors, quod vita beata,
Et cœlis summo quod potiare bono.

IN OBITUM HONORATÆ, ET chariſſimæ matris Katharinæ Carnegiæ Balmaniæ.

Flos illibatæ virtutis; quæ tibi vitam,
Hæc lumen terris abstulit atra dies.

Chara

Chara bonis, inimica malis, tam chara mariti,
Arctius ut nullum hoc par in amore pari.
Officijs ſerva in natos, monitiſque magiſtra,
Caſta domi, cultu ſimplice munda foris.
Commoda pauperibus victu, tecto, ære iuvando:
Pulſavit ſterilis limina nemo prece.
His vita ſtadium officijs decurris amoris,
Atque his officijs mors properata venit.
Namque agros recreans, & fatis fila retexens,
In caput accerſis triſtia fata tuum.
Dignam vita tulit mortem, mors conſona vitæ,
Iuge dedit vitâ nunc ſuper aſtra frui.

IN OBITUM CLARISSIMI VIRI, Doctoris Liddelli, Medico-aſtrologi, de literis & literatis optime meriti.

NOn tu plebe ſatus: ſed te pulcherrima Dona,
Naïadum ſancto ſemine fœta, tulit.
Suſcepit gremio Paan ſemota recludens
Quæ ſerat abſtruſo dædala terra ſinu.
Mox levat Uranie cœli ad radiantia templa,
Oſtentans thalamos & penetrale Dei,

Vendicat

Vendicat hinc te terra sibi, sibi vendicat æther;
Dum certat cœlum, certat habere solum.
Pugna datura chaos: lethali falce stetisset
Ni geminas inter parca sequestra acies:
Quæ pugnam ut dirimat, corpusq; animamq; diremit;
Dans animam cœlo, corpus inane solo.
Indignata sibi tellus prævertier æthram,
Illam animâ, exanima se nisi mole frui.
Ergo quod ære inopes, languentes inveris arte,
Largus & in Clarij castra togata Dei;
Fama datur cineres animans, tua factaque spargens
Qua levat & mergit gurgite Phœbus equos.
Sic famâ in terris, animâ super æthera vivis:
Claroscens meritis tempus in omne tuis.

FINIS.